



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

12

Q. D. B. V.
De
**FINIBUS
JURISPRUDENTIAE
NATURALIS REGENDIS**

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO WILHELMO
MARCHIONE BRANDENBURGICO ET ELECTORATUS
HEREDE, &c. &c. &c.

In Illustri Academia Fridericiana
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
SUB PRÆSIDIO
M. JOH. FRIDEMANN Schneider
EJUSDEM FACULTATIS ADJUNCTO,




differet

JOHANNES JACOBUS LUEDECKE,
HALLENSIS - SAXO.

ad d. Decembr. Anno M DCC.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis JOHANNIS. JACOBI KREBSII, Acad. Typogr.



P R A E F A T I O.

Ostquam foeda ingenii servitus,
quaæ Pythagora cœpit autore, in musarum sedibus atque universo fere eruditorum orbe penitus abrogata fuit, ab eo tempore donatis hac libertate, in Republica literaria sine pompa sapere & sine invidia discere, singulis licuit: Inprimis vero illis, qui alumnos se bonæ mentis profitentur & liberalium artium cultores. Isti nunc paulo uberioris poterunt per sectas veterum ac recentiorum dispersam, colligere veritatem, & duce experientia satis intelligere, nullam extitisse, quantilibet etiam excelluerit sapientia, quæ omne verum viderit, benignitate divina hunc servante ordinem, ut diffunderet dona sua in ætates & in homines, neq; in unam illam aut hunc unum, omnia simul & semel conferret. Quare libera per vacuum vestigia cum Venusino Poeta ponimus, nullius in Magistri, velut Pythagoræ olim fecerunt mancipia, verba jurantes, in amoenissim Philosophorum tempe exspatiamur, atque non secus ac tempore suo præstantissimus Pictorum, Zeuxes, qui venustæ virginis effigiem ex animi picturus sententia, plures cum cura introspiciebat ac sollicitudine; ex unaquaque retinens, quod sibi pulcherrimum videbatur. Eadem sane ratione nos varias optimorum ac solertissimorum virorum opiniones in præsentiar-

DE NATURA

gumento delibantes, solos veritatis flosculos, omnino rejectis
 errorum umbris utcunque decerpemus. Quandoquidem non
 amicorum. solum sententias, si quando à veritatis tramite de-
 flectunt, sed proprias etiam delere, veri Philosophi plurimum
 interea ad veritatis praesidium, ne fortassis pro Junone nubem
 amplectens suis luctum, eruditioribus vero perpetuum debeat
 ludibrium. Atque nobis hunc seopum intendentibus, velut A-
 riadnæ filo, ex mille errorum labyrinthis nos educturo, pro-
 be utendum erat, circumspeta finium, ab imperitis confuso-
 rum, rectione, qua nihil magis necessarium, nihil utilius, ju-
 cundiusq; evenire Jurisprudentiæ Naturali posse, ii denum fa-
 tebuntur, quos Musæ intra velum docuerunt. Plerique enim, sym-
 bola sua ad artem hanc conferentium, quæ ex constituto veni-
 unt, minus recte separarunt a naturalibus, exinde procul dubio
 factum, ut de uberrimo argumento dicerent paucissima, atq; si-
 ne ordine, quæ naturalis sunt juris, quæ divini, quæ gentium,
 quæ civilis, quæ ex canonibus. veniunt, valde permiserent &
 pessime confunderent. Noctuas igitur haudquaquam feremus
 Athenas in tanta librorum ac dissertationum copia in dolem ac
 historiam juris naturalis pro ingenii nostri viribus exhibituri,
 ut vel eo nomine minimam quoq; iisdem impendendo consi-
 derationem, operam ludamus, & perdamus illius pretium. Ve-
 rum hæc propositi nostri summa erit, ne Harpocratis partes su-
 stinere, Eleusiniisque sacris præter expectationem litare aliis
 videamur, brevisimis quidem verbis ea tradamus, quorum
 notitia cupidos Legum naturalium cultores ad majorem studii
 hujus æstimationem aliquando perducet. Evidem felicius
 in ostro potituri voto ordinem doctrinæ nostræ tam elige-
 mus, ut primum Jurisprudentiæ naturalis naturam declaremus
 cap. I. Deinde varias juris naturalis hypotheses indicemus cap.
 II. Tandem ejusdem juris discrimen ab aliis juribus evolvamus
 cap. III. Sane mediocritatis nostræ consciï digne singula haud
 tracta-

JURISPRUDENTIAE NATURALIS

tractare nos posse non ignoramus, conatum ostendere volui-
mus, quem Dei auxilium & Benigni Lectoris judicium ut sub-
levent, enixe contendimus.

CAP. I.

De Natura Jurisprudentiae Naturalis.

§. I. Definitio Jurisprudentiae na-
turalis.

§. II. Discrimen a Jurispruden-
tia supernaturali affertur &
jus naturale etiam revelatum
esse, non tamen a sola revela-
tione vim suam obligandi ac-
cepisse contra Hobbesium de-
fenditur:

§. III. Regula juris Naturalis
Hobbesii, quam è Christi sen-
tentia desumvit, explicatur, ut

a) grata Pagano Impera-
tori.

b) firma in fundamento suo,

c) catbolica in officiis erga
proximum, atque hoc nomine
refutatur Robertus Scharo-
ckius.

§. IV. De Lege Cæli. Auctor i-
stius Plato cum suis affectis:
Naturam bujus legis Ficinus
& Bologonetus exposuerunt.
Cælum vero non esse Legis ca-

pax ostenditur. Quotupliciter
sensu Fatum a gentilibus ac-
cipiatur Philosophis. Autores
de Fato adducuntur. Inter-
esse hujus Controversia de Le-
ge Cælis. Fati annexatur.

§. V. De genere Jurisprudentiae
Naturalis. Non est ars. Neque
tamen nuda scientia: licet bac
supponatur propter demon-
straciones. Objectio solvitur
contra rerum moralium
certitudinem prolatam. Pru-
dentia, verum esse genus sta-
tuitur, eaque ex Aristotele de-
finitur. Cur scientia officio-
rum secundum Jus Natura-
temperatorum non suffi-
ciat?

§. VI. Objectum Jurisprudentiae
nostra sunt leges naturales.
Harum descriptio. Autor Deo-
sus: Nullum enim jus sine Deo
concipiendum contra Hug.
Grotium

Grotium & Autorem Praesidii Academici. Solvitur hujus objectio. Promulgatio per dictamina recta rationis. Lumen rationis contra Scholasticos explicatur clarius. Rejiciuntur Moraliste quidam ignorantiam juris naturalis invincibilem defendantes. Num detur recta ratio? Anne tu tuis sit Leges naturales scriptura comprehendere? Distinctio inter Leges civiles ratione autoritatis & originis. Quid de Alberici Gentilis iure civili universalis sentendum? Quibus effectibus cognoscatur leges naturales habere autoritatem civilium? Fontes officiorum humanae.

§. VII. Scopus Jurisprudentia naturalis remotus est tranquillitas totius generis humani; non salus eterna contra Pelagium & Naturalistas. Horum ratio solvitur, & regula Philosophica male applicata simul vindicatur.

§. VIII. Proximus Jurisprudentia naturalis scopus est legum naturalium explicatio & ap-

plicatio. De regulis Hermeneutice remissive. Explicatio fieri debet per demonstraciones & mentionem omnium circumstantiarum. Num dentur antinomiae in J.N.? Discremen ab interpretatione legum positivarum per conjecturas. Solvitur objectio. Hugo Grotius defenditur contra Zieglerum & Jagerum.

§. IX. Legum Naturalium applicatio ope sit prudentia. Hec vel legislatoria, vel consultatoria, vel Judicialis est. Utrum habitus & actiones voluntaria dirigantur ab habitibus intellectualibus?

§. X. Applicationis traditur Reg. I. De lumine nature non confundendo cum lumine revelationis supernaturalis. Quam morum capita excluduntur, qua fidei mysterium l. includunt l. supponunt, uti adoratio Dei Trinunius, figura magie, prohibitus iunctus nuptiarum. Notantur inter recentiores Alexander à Roel, inter veteres Keckermannus, Mornaeus, & Grotius. Circa magiam D. Osian-

JURISPRUDENTIAE NATURALIS

7

dri opinio refellitur & Scho-
laſticonum, angelorum exi-
ſentiam & lapsum ē lumine
naturali demonstrantium. De
incestu ſententia Hedingeri
laudatur. Arguments diſſen-
tientium ſolū pūntur I. a ſui ab-
negatione. Resp. ſupponit pec-
catum originis. II. Ab inimici
dilectione. Resp. per diſtinctio-
nem inter naturam & noxam.
Teſtimonium S. Auguſtini &
Sogdianorum exemplum com-
mendatur. Q. Num Juris-
prudentia naturalis Chris-
tiana detur?

§. XI. Reg. II. De fictis, mere ſo-
lemnis, & pure paenali bus
agit negotius. Deſcriptio fictio-
nis e Corkacio. Q. an quadam
jure naturali valent, que ta-
men ob fictionem jure civili
ſunt irrita? Exempla donatio-
nis inter Patrem & filium fa-
miliae. II. inter coniuges. Q.
Utrum, que per fictionem ju-
re civili valent J. N. ſint irri-
ta? Illustratur per aditionem
bereditatis. Refellitur ſen-
tentia Viri Clarissimi de fictiani-
bus Juriſ nature & gentium,
objicientis (1) immortatatem

Reipubl. Resp. Non ex fictione,
ſed ex continuatione imperii
& ſurrogatione ciuitum eſt.
Veltbemū profertur teſtimoniu-
mum. (2) reſtitutionem damni
ab eo, qui mediate illud dedit.
Resp. Illa non ex fictione, ſed ex
vera imputatione oritur. Oc-
caſione bujus diſſeritur de
cauſa morali. Alteſerre op-
nio eligitur, & Albericus
Gentilis tandem datur. Solemnitas
expenditur. Non tamen omnis
bit excluditur, ſed tantum ea,
qua ad negotii ſubſtantiam
pertinet. Q. Num actiones fo-
renſes ſint juriſ naturaliſ? Q.
Num omnes etiam exceptiones
ex J. N. descendant? Teſ-
marii judicium de ſolemnibus.
Genera paenarum non definiſ
J. N. Neque obſtant I. Morſus
Conſcientia. Resp. per diſtin-
ctionem inter paenas conſpi-
cuas & inconſpicuas. II. Talio.
Resp. per diſtinctionem inter
paenam generalē & ſpecialem
it. inter talionem ſimplicem
& comparatam. Exemplum
Talionis ſimplicis ex Dubravio
producitur. Q. Utrum iud ci-
vile cum jure N. pugnet? Argu-
menta

CAP. I. DE NATURA

menta solvuntur I. ab obligatiōibus reprobatis. II. a capitis deminutione. III. ab alienā mentis incestuosa proliñegatis IV. a servitute, petita.

§. XII. Reg. III. De negotiis in genere praeceptis, in specie autem solummodo permisſis agit: Illustratur matrimonio & militia. Q. An cœlibes agant contra J. N? Reg. IV. Actio in theſſa debita aliquando est in hypothēſi indebita. Sic vita defensio praecepta in genere; non tamen contra quemlibet permisſa. E. g. contra principem meum, Vasquius refutatur. Neque enim imperium delicto amittitur, neque civis jus refendē excipitur. De Moraliſtārum innocentia in hoc caſu remittitur.

§. XIII. Jurisprudentiam Naturalem comitatur (1) utilitas, que elucet, cum in conservatione generis humani, tum in declaratione reliquorum iuri-

um. (2) universalitas ex parte objecti. Leges enim naturales omnes sine exceptione obligant homines. Laudatur Job. Bodini Testimonium & solvit argumentum I. ab integrarum gentium delictis. Resp. Hac non obligationem, sed ejus usum tollunt. Distin-
ctio inter gentem ſibi relictam & seductam exhibetur. Ar-
gum. II. a Ceffatione pacis u-
niversalis. Resp. Non in voto,
obligatione & naturali cognatione, sed in eventu ſape deficit. Pacis universalis admini-
cula (1) Iuſtitia & Chriſtia-
nismus Hug. Grotio. (2) Imperium Oecumenicum Burgers-
dickio, ubi difficultas circa e-
jus acquisitionem expendit. (3) Collegium Feſcialium Ra-
chelio, de quo iudicium fertur,
quod non abroget bellum, ſed
ejus frequentiam. Adhorta-
tionē concluditur.

I.

Cum omnis, quæ a recta ratione ſuscipitur, de aliqua re institutio, ab ipsa definitione proficiſci debeat, ut intellegatur, quid sit, de quo diſputetur, monente Orato-
rum ſummo, Cicerone, l.1. de Officiis, cap.1. p.7. Defini-

JURISPRUDENTIÆ NATURALIS

tio enim finis est, quem primum omnium intueri nos oportet, atque firmissimam præbet anchoram, contra præsentissimos errorum fluctus, ne hisce mersa veritas obruatur. Quare operæ non penitus perdituri sumus pretium, si in fronte dissertationis nostræ definitionem Jurisprudentiæ naturalis collocaverimus, ut juxta ejus mentem fines Juris naturalis magis circumspecte regere possemus. Salvo autem aliorum, forte feliciori instructorum judicio, ita censemus illam esse definitam: Jurisprudentia naturalis est Prudentia leges naturales explicandi & applicandi ad salutem hominis temporalem.

§. II. Naturalem vero appellamus Jurisprudentiam nostram, ut à supernaturali Jurisprudentia paulo melius distinguantur, Leges revelatas declarante, easque ad Reipublicæ & Ecclesiæ tranquillitatem simul applicante. Evidem non diffitemur, naturales etiam leges extare plures in Sacro Codice, nobis revelatas, atque huc pleraque Decalogi præcepta pertinere, ut eo clarioribus appareret documentis, Deum non posse non jubere, quod rectæ rationi convenit, aut prohibere, quod eidem plane disconvenit: Propterea tamen ipsas Leges naturales non ex revelatione, sed adhuc ex lumine naturali probare, merito tenemur, nè fines à Numine ipso probe distinctos, imprudentissime confundamus. Nihil enim turpius est, et si prudentioribus etiam acciderit, in foro juris naturæ occupatis, quam autoritates, quæ veri fidem tantum gignunt, proprio auctu miscere cum argumentis, quæ parere scientiam possunt. Certum quoque est, publicationem vel promulgationem non mutare jus ipsum, nisi quatenus aliquid addit, hinc illud naturalitatē quoque juris naturæ non toller, quod plurima ejus præcepta in S. Codice reperiantur repetita; nam & in Legibus nostris civilibus multa continentur, quæ sunt Juris Divini & Naturalis. Vid. Illustr. DN. Samuel Strykius, quem universa Respublica literaria propter immortalia ejus merita summis ef-

CAP. I. DE NATURA

fert laudibus in *egregiis Not. ad Dn. Lauterbachii Compend.* p. 16.
 § 17. Cui subjungimus ejusdem sententiae defensores. Dn. D. Reinhardum Hedingerum in *Sicilimentis Philosoph. Juris Dif-*
fert. I. de Principiis Juris naturae §. 10. p. 5. Dn. D. Joh. Eisenhar-
dum in Inst. J. N. represent. cap. I. §. 2. p. 5. Dn. Gedohardum
Borgelium in Enodatione J. N. cap. I. §. 21. p. 17. Recte igitur B.
Dn. de Pufendorff. I. 1. de J. N. & G. c. 6. §. 4. p. 81. reprehendit
 Thomam Hobbesium, ratum in libro de *Cive. c. 3. §. ult.* leges na-
 turae eatenus duntaxat legum vim obtinere, quatenus in Scripturis
 sacris oratione Dei sunt promulgatae; non autem, quatenus sunt
 conclusiones quadam ratione illatae de agendis &
 omittendis. Ac si vero ex dictamine rationis intelligatur,
 legum naturalium observantiam generi humano solum esse
 utilem; cum tamen ex eodem pariter cognoscantur a Deo
 has juberi, ut mortales ad istarum normam actiones suas di-
 rigant. Qui igitur ratione sua uti noverit, & Legum natura-
 lium Deum esse auctorem, qui totius universi, nunquam igno-
 rabit; quippe cuius existentiam nobis partim ratio, partim
 traditio perpetua insevit. H. Gret. in *Proleg.* §. 12.

§. III. Quibus ita præmissis, haudquaquam Roberto
 Scharockio, cetera non postremo Juris naturalis interpreti in
lib. de Officiis, secundum jus nature instituendis cap. II. n. II. p. 125.
 calculum nostrum adjicere possumus, ubi Thomam Hobbe-
 sium Malinesburensem Doctorem, magis ex invidia, quam
 veritatis amore ductus refutat, hanc juris naturae regulam recte-
 inculcantem in *lib. de Cive. c. 3. §. 26.* Sic erga unumquemque
 agas, quomodo tecum agivelis, si ipse in eo fueris statu, in quo
 est ille, quicum agis. Omnium sane suffragio illa regula au-
 reolam nobis exhibet Christi sententiam, (*Math. VII. 12. Luc.*
VI. 34.) quod tibi vis fieri, alteri id feceris, judicio ipsius Serva-
 toris, summam Legis & Prophetarum complexam. Tanta in-
 super facilitate sese commendat, ut extreme improbum hunc

esse

esse oporteat, qui eidem vellet assensum suum recusare, quoniam ex proprio sensu & judicio nostro vim atque normam arcet officii. Inde dubio procul factum, ut inclutus Romanorum imperator, Alexander Severus, et si Christianorum sarcis minime addictus, satis id evincente Celeberrimo Dn. Christophoro Cellario (Viro, cuius terfa etiam scripta grato animo perlegere omnes debent, qui barbariem averfantur, literas & humanitatis studia in pretio habent) in elegantissima plane exercitatione historica *de primo principe Christiano.* §. 20. adeo tamen ille Imperator delectatus Christiana sententia, ut Lampridio narrante in ejus vita *cap. 51. pag. 350.* per Praconem, cum aliquem emandaret, dici juss erit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quin etiam istius perpetuam custoditurus memoriam præcepit suis, ut in palatio & publicis operibus præscriberetur. Ab hoc itaque Pagano Imperatore justo rubore fuffunditur Robert. Scharockius, existimans, prædictam regulam pertinere tantum ad statum naturalis æqualitatis, in quo inter æquales invitatos nulla juris datur prærogatiya, quam sententiam aliqui itidem B. Dn. Pufendorf. *I. 3. de J. N. & G. cap. 2. §. 4. p. 273.* per summam affingunt calumniam. Verum enim vero huic regulæ neque universalitas deficit, neque veritas. Universalitas quidem ei convenit, quia per talem regulam intelligi potest illud omne, quod Jus naturæ a nobis intuitu proximi requirit, cuius præcepta omnia dari specialia nequeunt. Imo si iam dictum esset: Facite omnia, quæ justa sunt: sententiam quidem haberemus generalem, sed minus perspicuam, ex qua certi redederemur, quid circa singulas res & negotia justum esset. At cum dicitur: Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, ejusmodi deprehendimus normam, ex qua certi esse possumus, quid in qualibet re justum sit. Quemadmodum animi pendere nequimus, quid ipsi nobis vellemus fieri ab aliis; ita etiam dubitare non possumus, quid aliis facere de-

beamus. Si quando ex opere suis, ut alii amici nobis sint, cogitandum statim est, vicissim nos velle debere, ut aliis amici simus. Neque porro veritatē aut ius sufficientiam evertunt incommoda, quae denso agmine Scharockius produxit. Unum instar omnium erit adductu' necessarium brevitatis cultoribus. Ita vero inquit L. Sempronius judex de convictis latronibus sententiam latus, querit, quomodo se erga latrones gerere oporteat, quibus constat, ex legibus supplicium capitale esse infligendum. Regulam consulat, ac semet ipsum roget, si ipse latro convictus coram tribunalī staret, haberetque eos judices, quos jam videt latrociniī reos, an eligeret vitam, an mortem infamem, an vellet sibi ignosci, an se a judicibus condemnari? Sane affirmare ausim, paucissimos esse, qui, cum penes se sit vita & necis sua potestas, vitam morti, non nisi cum ignominia & dolore obeundæ, non præferrent. Si vero ipse convictus ignosci sibi vellet, ergo & juxta regulam debebit, judex cum sit, latronibus ignoscere, quod quam sit absurdum, quisque judicet. Hæc Scharockius. Sed quo premere incommodo nostram, eodem propriam fere oppressit sententiam. Quod si enim fallax aut insufficiens hæc regula esset ad dirigendum hominem, ejusque vitam in actionibus erga proximum, falso dixisset Sapientissimus Legislatorum Christus: In hoc toti sunt Moses & Prophetæ; utpote qui sine dubio sufficenter moribus instruunt homines. Propterea incommodum quod nimis urget, & personarum respectum invertit, & voluntatem ordinatam confundit cum inordinata. Si enim ut Scharockii exemplum retineamus, judex sententiam latus condamnandi latronis personam induat, & simul ipsam regulam exuat, certo certius est, se velle absolvī. At si latronis personam assumat, qui vi hujus regulæ in judicis locum transgressus, latrones debita poena afficiendos esse statueret. Atque hinc tantum abest, ut se absolvī cuperet, ut potius morte

JURISPRUDENTIAE NATURALIS

4

te legibus præscripta se occidi vellet; ita tamen, ne graviori supplicio, quam par esset, in ipsum animadverteretur. DN.D. Wolfgang. Jæger in *Tr. de Legi natura*, qu. 8. pag. 148. DN. D. Reinhard. Hedingerus in *Sicilementis Philosoph. Juris. Diff. 1. §. 7. p. 4.* DN. D. Samuel Reiher in *not. ad Scharockium* p. 127. DN.D. Samuel Strimesius in *Originibus Moralibus Differt. de bono morali summo.* p. 122. Thom. Jacksonus lib. 2. *Comment. in Symbol. Apost. c. 33. p. 499.* & Guilielm. Amesius de *Casibus conscientia.* l. 5. c. 1. qu. 6.

§. IV. Postquam in superioribus indicavimus, Jus supernaturale non pertinere ad jurisprudentiam nostram, opportunabónis inde affulsi occasio, paulo accuratius examinandi Legem Cœli, quam regundorum finium imperiti ad illam male reduxerunt. Platonicos his indigitamus verbis, qui Sectæ suæ conditorem, Platонem, virum summæ prudentiæ & autoritatis apud Græcos, (teste Callistrato JCto in *L. 2. ff. de Nundinis*) strenue secuti in Timæo p. 479. (edit. Venet. 1656.) sibi certo persuaserunt, Legem divinam gradatim ad homines descendisse per Legem Cœli. Nimirum cum Divinus Plato in Ægypto à sacerdotibus, tanquam præceptoribus suis audivisset, & accurata omnium rerum consideratione invenisset, nihil à Deo motus aut ordinis expers esse productum harmonicam proinde asserturus omnium rerum consonantiam & conformatiōnem, simul deprehendit, à Deo omnia per gradus ad homines pervenire, nonnunquam ita differuit, quasi eadem media ad rationem hominis perficiendam aliquid conferrent. Et cum omnia divina opera altius rimanti proximè à Deo pulcherrimum & plane divinum cœli opificium, stellarum ornatū, illarumque influxu stupendum occurreret, divinæ justitiæ modo dictam subjecit legem cœli. In cuius declaratione duas eminere sententias passim animadvertisimus. Una Marsilius est. Ficini, Florentini, fidelissimi haud dubie Platonis

interpretis, qui à tenera ætate tanti nominis cultorem se fuisse, in proemio ad universa Platonis opera à se in latinum translatam sermonem, prolixè gloriatur. Hic autem per Legem Cœli in *Comm. ad Dialog. Platonis de Legibus.* p. 607. intelligit fatum, sive immobilem quandam in superiore animæ mundi parte dispositionem. Atque hanc Ficini constantem fuisse sententiam ex enarratione specierum Legis certo colligimus, quam nobis præstítit in *Comm. ad Platonis Min.* p. m. 34. dicentis: Legis autem species sunt quatuor. Prima divina, quam providentiam Plato vocat: Secunda Cœlestis, quam fatum: Tertia movens, quam naturam: Quarta humana, quam prudentiam naturalem. Post Ficinum non primoribus attigit labris hanc Legem Cœli, alteramque nobis suggerit opinionem Albert. Bologonettus in *eximio libr. de Legc, jure & Aequitate,* ubi cap. 3. in Sphæra siderumque inclinatione illam posuit. Esto, Platonem hanc tradidisse Legem. Cum Platone interiit universum hominum ingenium? Nonne artes per secula cœperunt incrementa sua? Nobis igitur imponere silentii servitutem non possumus. Omnino enim veri Philosophi munus est, omnia revocare sub limam rationis, & veritatem non amare solum, sed etiam confiteri, non attento autoritatis præsidio. Quamvis itaque Aristoteles ipse, Dux Peripateticorum summus, & facile Doctissimus Platonis Discipulus in lib. 2. de Cœlo. t. 3. τὸ δὲ παρὸν ἐμψυχόν sive cœlum animatum esse statuerit; nihilominus meliora de indole naturalium edocti, ei parum tribuentes fidei, constanter affirmamus, quoniam rerum ratione carentium omnium, nulla proprie & sub peccato obligatio est, legem, relatione facta ad cœlum, strictam propriamque rationem legis nunquam obtainere. Neque rem confectam dederunt, per Legem cœli significantes fatum, aut enim istud colloca- runt infra Deum, sc. in virtute Cœli & astrorum influxu; uti Plato ipse in *Timaeo* p. 478. & 479. & Plutarchus in *peculiari lib.*

*bro, de Fato, qui extat, in Tomo secundo operum p. 569. aut intra Deum, in ejus voluntate & operatione immediata, Vid. Seneca. lib. 4. de Benef. cap. 7. iterumque Plutarchus de Stoicorum repugnantia, Tom. 2. p. 1056. 1057. aut denique supra Deum elevarunt, Conf. Seneca in l. 2. Natural. quest. cap. 36. & Plutarchum l. c. Primum Fatum est ineptum, quia cœlum quidem corpora inclinat, æque ac vis astrorum; sed animæ, elementari contemperatione nequaque constanti, fatales haud injicit compedes. Secundum est periculosum, si ita concipitur, ut Deus omnia in hominibus absolute agat, aut ad omnes actiones eosdem quasi adigat, tunc homines vitam frustra agunt, eisque Deus nihil præcipere, nihil prohibere poterit. Conf. Dn. de Pufend. l. 1. de J. N. & G. cap. 4. §. 3. p. 51. & 52. Tertium est blasphemum, quia fati servum facit Deum omnium liberum, ut apud Lucianum in Dialogo, qui inscribitur, ζευς
ἀλέγχουσας, jupiter consutatus (extat TOMO IV. EDIT. BASIL. p. 240.) in quo Cyniscus jovem exagitat, quod fati instrumentum fit, ut ascia & terebrum sunt instrumenta fabri. Ceterum accuratiore in forte efflagitantibus fati & expositionem & refutationem, cum primis legendus erit Alphonsi Pandulphi, Comaclacensis Episcopi, TR. DE FINIE MUNDI (edit. Bonon. 1659,) in quo non indocte fati modo descripti errores ex Thoma, Scoto, Bonaventura & aliis investigatione simul sententiaz stoicorum facta, penitus exploduntur. Neque Stoicæ Philosophia restaurator, Justus Lipsius, in eorum fato refellendo otia egit, sed cum alibi passim, tum in manuductione ad Stoicam Philosophiam acerbissimis improbaverit verbis, ac suum fatum, quod ipse ibidem substituit, ab illorum belle distinxit, in libr. 1. de Constantia cap. 20. Omnim vero optime fatuum hoc fatuorum fatum e finibus jurisprudentiaz Naturalis haud ita pridem proscripsit Dn. Licent. Jo. Franciscus Buddeus in Dissertationibus suis de precipuis Stoicorum in Philosophia Morali erroribus*

ribus. Differt. 2. Nos, nil superesse, in præsenti arbitramur, præterquam incommodum expendere de fato controvertentium : sc. hoc observatione dignum, eos, qui fato omnia tribuunt, non usum modo rationis ex homine tollere, sed etiam operationem Legis peccati, cum operatione fati confundere. Et quidem eo fine tantum fati potentiam mordicus defendunt, ut sese in omnibus delictis excusare & culpam scelerum, at quantum hominum scelus ! in fatum Deumque possint referre. Similes ferme nostris instituit querelas, Bataviæ homines, Hugo Grot. in libello posthumo, quo collegit Philosophorum sententias DE FATO p. 292. inquiens, qui tollunt id, quod in nostra est potestate, & velle & nolle, hi & eam, quæ in animo est, differentiam virtutis & vitii tollunt, neque justas laudes relinquunt aut vituperationes.

§. V. Visâ etiam Cœlilege, revertimur ad Jurisprudentiam nostram, quæ tum demum cognoscitur, quando quid ea cum aliis disciplinis commune, quid vero sibi proprium habeat, intelligitur: nempe cum definitio ejus, quæ genere & differentiam constat, est perspecta. Inprimis quod dissidia non plane contemnda de genere subinde moventur, adeo, ut pro diversa horum compositione, majus commodum vel detrimentum in alteram partem redundet. Quod si enim nonnulli artem generis loco ponunt, id periculi statim subeunt, ut delicta contra conscientiam minuere, ex ignorantia autem commissa exaggerare ita debeant. Certe artificis graviora sunt errata, quæ ex ignorantia, quam ea, quæ data opera committit, ratio in promtu est: quoniam illa artificis negligiam, hæc vero istius acumen ostendunt & solerter. E contrario in Jurisprudentia naturali hæc minime procedunt: ibi enim pejor esse actio putatur, quæ prælucente intellectu ac dcernente voluntate perpetrata, ea, quæ per ignorantiam admittitur. Egregie illustrat hanc sententiam post occasum suum que-

quoque fulgidissimum Germaniae sidus, Illustris Dn. de Pufend. *in lib. 1. de J. N. & G. cap. 8. §. 3. p. 128.* his verbis : In actionibus malis utique etiam inter homines major habetur ratio intentionis. Et quidem, ubi illa plane absuerit, quod contingit circa ea, quæ ex ignorantia aut errore invincibili suscipiuntur, actio pro invita habebitur. Atque hæc de Arte differimus. Porro, qui pro genere eligunt scientiam, habita probationum certarum ratione, quas disciplinis, circa moralia versantibus, & veteres Pyrrhonios, & recentiores Scepticos, quorum immanes errores repulit Excellentissimus Dn. Jo. Franc. Buddeus *in Diff. de Scepticismo moralis*, securi, quidam plane abjudicarunt, illi vero ad Jurisprudentiæ naturalis fines multo propius accedunt, licet eidem propterea Mathematicam non a que tribuant certitudinem. Istorum autem mens eo clarius patescet, si quæ in contrariam partem hic adduci solent, brevibus modo excussum. Non pauci reperiuntur, qui nobis audacter objiciunt, actiones humanas non esse necessarias, adeoque de illis nihil posse certo probari. Ad hoc dubium ipsis evellendum nunc respondemus : Actiones morales considerari, vel ratione productionis, vel ratione connexionis cum attributis suis : Priori sensu utique non sunt necessariae, utpote a liberrima hominis voluntate trahentes originem suam; nihilo minus modo posteriori, quo posita illarum existentiæ certæ singulis actionibus affectiones necessario convenient, atque tales conveniri, ex indubuis Principiis demonstrari potest. Et quantumvis objectum demonstrationum moralium duratione haut necessarium sit; adhuc tamen sufficit, neque in connexione cum affectionibus suis necessaria, neque in evidentia facile quicquam desiderari posse. Si terminis Scholæ utendum esset, diceremus cum Henrico Julio Scheurlio *in Philosoph. moralis Diff. 2. §. 8. p. 71.* Actiones humanas esse quidem mutabiles in actu exercito, constantissimas autem ac

prorsus immutabiles in actu signato. Conf. Dn. de Puffend. de J.N. & G.l.i.c.2. §.5. p.24. Dn.D.Joh.Reinh.Hedingerus in *Conf. Jurisprudentia Natur. qu.2.p.11.* B.D.Valent.Velthemius in *integra Dissert. de bac materia, cui Titulus: AETIOSCOPIA MORALIS, & in Jurisprudentie Moralis T.ab.1.* Horum vestigiis nos non pœnituit iniustere, & quo magis demonstrationes vulgo negliguntur; eo diligentius naturalis. juris principia, tanquam illarum fontes explicare nunquam non connitemur, ut luculenter ostendimus, Jurisprudentiam nostram non spuriam esse opinonis filiam, ex variis hinc inde collectis erroribus natam, neque infelicem & subdititium pravæ consuetudinis partum, sed genuinam prolem veritatis, quam justitia ex Deo peperit, Philosophia enutrivit, Deus autoritate sua dotavit. Qua de causa Jurisprudentiæ naturalis genus acu ipsa tetigerunt, designantes prudentiam, ut, quantum operemur, tantum sciamus. Vid. Celeberrimus DN. D.Thomasius, Viromni scientiarum genere quam instructissimus, in *Institut. Jurisprud. divine l.i.c.1. §.2. seqq.* Verum juxta Aristotelem, principem fere veterum Philosophorum in *l. 6. ad Nicom. c.5. p.m. 298.* Prudentia est habitus agendi vera cum ratione, circa ea, quæ sunt bona homini, atque mala. Certum omnibus est atque exploratum, scientiam officiorum nihil, vel parum conducere Juris naturalis cultoribus, nisi istorum usus accedit. Primum quia scientia cadit etiam in homines extreme improbos: actiones autem humanae, pro ratione obligationis ad præscriptum legum attemperatae, non sunt, nisi bonorum propriæ. Deinde, quia homines scientia possunt abuti, Seneca enim teste in *Epiſt. 95. p.m. 432.* postquam docti prodierunt, boni desierunt; Simplex illa & aperta virtus in obscuram & solerterem scientiam versa est, docemur disputare, non vivere. Verissime dicta sunt hæc de moribus nostris, leges ubique pertracturis in potestatem suam. Et sane malo hodie accidit literarum. fato, quod infeliciter non nulli in tractandis naturæ legibus per solas disceptationes fa-

mam aucupantur. Deniq; scientia officiorum sine illorum præstatione prorsus est otiosa, & contra intentionem legislatoris divini adhibetur, quippe qui vult, ut officia discamus agendi causa. Audiamus sub finem longe utilissimi hujus Dogmatis assertorem, celeberrimum DN.D. Strimesium *in originibus Moral.*
Diss. I. §. 9. p. 8. Prudentia, inquit, cognitionem supponit, sed nequaquam, vel eadem absolvitur, vel qua potissimam sui partem exhauditur. Homines itaque pravi, rerum licet peritisimi & callidissimi, minime tamen prudentes, sed qua praxin stolidissimi sunt, quia hi recta ratione omnino destituantur. Ille de: num absolute & complete recta ratione præditus est, cujus & theoria & effectio & actio perfecta sunt.

§. VI. Cum igitur pro ratione instituti nostri genus Jurisprudentiæ naturalis expendimus velut internum quod-dam principium, e quo de certitudine ipsius disciplinæ sobrium ferre judicium omnes valeant, proximum esse arbitramur, ut de specifica illius differentia, quam solertissimi appellant Philosophi, cum cura dispiciamus, eandemque partim ab objecto, partim a fine petitam clarius paulo tradamus. Enimvero objectum Jurisprudentiæ naturalis sunt leges naturales, a Deo humanæ menti inscriptæ, præcipientes ea, quæ cum natura sociali convenient, & prolibentes, quæ ab eadem discrepant, propter tranquillitatem totius generis humani. Sicut autem lex nullam in animis eorum, quibus fertur, vim exercere potest, nisi & legislator & lex ipsa cognoscantur, quoniam nemo obedientiam præstare unquam poterit, si neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur, noverit: illud enim reverentiam excitat & parendi necessitatem, hocvero de proposito explendi legislatoris voluntatem, sive in committendis, sive in omittendis abunde instruit; Ita, etiam ad efficacem legum naturalium, obligationem merito requiritur cognitio tum DEI tanquam legislatoris, cum ipsius promulgationis, quippe quæ facit, ut in notitiam

CAP. I. DE NATURA

subjectorum lex perveniat, neve impii, qui injuste ac scelerate vivunt, habeant, quo se excusent. Evidem Deum, qui universti, eundem quoque legum naturalium esse autorem ex lumine rationis satis cognoscitur; quoniam eo praelucente imperium Deo in omnes homines jure creationis & conservationis acquisitum, singuli deprehendunt, ut ea de causa graviter errant, qui cum Hug. Grotio in *Proleg. de J. B. & P.* §. XXI. asseruerunt, (uti Celeberrimus autor Praesidii Academicii *Disp. i. cap. i. §. 2.*) et si Deus non detur, jus tamien naturæ obligare. Neque ad rem pertinet, quem nobis injiciunt scrupulum, Deo negato, (quod sine summo errore ac scelere fieri nequit,) non legis naturalis obligationem, sed tantum poenalem ejus executionem cessaturam esse, cum obligatio etiam ab anima nostra originem trahere possit. Sed praeterquam quod nemo sibi ipsi obligatur, quia semper obligationem sibi remittere posset, (ut nihil dicamus de confusione) cum idem foret obligans & obligatus, adeoque obligans facile posset obligatum ab hoc morali liberare vinculo per merum arbitrium suum, & qui hoc potest, jam actu & in praesenti liber est, Thomas Hobbesius *de Civ.* cap. 6. §. 14. Quamobrem, qui obligandus est, debet imperio habere superiorem. Vid. Illustr. DN. de Puffendorff. *de J. N. & G. I. I. c. 6. §. 7. 8. & 9.* Neque porro admittendum erit salva veritate, quod de poenali objicitur executione, cum Deum habentes tantum pro executori legi naturalis, eundem reddunt hominis ministrum, atque falsissima nituntur hypothesi, quasi nonnulli hominum actus sint honesti & turpes ex natura sua ante legem & voluntatem Dei disponentem. Cedro dignissima sunt verba Illustris DN. Samuelis Strykii, Jcti in omni jure versatissimi, quibus huic sententiae magnum pondus adjecit in *Comment. ad Lauterbach. Comp. p. m. 16. & 17.* Nullum jus extra Deum concipiendum, & sic nec naturale quidem: quicquid enim per modum legis obli-

obligat, id sine legislatore & sine superiore, qui autoritatem legis afferat ac violatoribus vindicta futurus sit, concipi nequit, qui hic ipse Deus est, quippe auctor Naturæ, quæ nobis tale quid dictare dicitur. Profecto unum ex præcipuis iis est, quæ merito miramur, quod nempe Ethnici solius adminiculatio rationis eo ascendere potuerint, ut perspicerent legem naturæ, menti humanæ insculptam, esse immutabilem sapientiæ & justitiæ Divinæ normam, quæ conformitatem cum Deo in homine ita postulet, ut omnem contumaciam difformem etiam in hac vita sæpe destrui ac vindicari oporteat. Noluimus hic cœmulare antiquitatis testimonia, in quibus colligendis toti fuerunt. Benedictus Wincklerus *de principiis juris cap. III.* & *IV.* Gvil. Grotius *in Enchiridio f. N. cap. III.* §. 1.. Gregorius de Valentia in *I. 2. Tom. 2. Disp. 7. qu. 4. punc̄t. 1. p. 885. lit. b.* Dominicus a Soto *de Jure ac Justit. qu. 4. art. 1.* aliique, quos brevitatis studio-jani præterimus. Inprimis quod lex naturalis ad vim suam obligandi præter legislatoris, sui ipsius etiam notitiam omnino depositit, ad quam minime perducimur, nisi ejusdem promulgationem observemus. Hæc contingit per lumen rectæ rationis, quod cum Thoma *in I. 2. qu. 84. art. 1.* Raphaël Aversa *in Tr. de anima scilicet. 3. qu. 75.* & Egidius Romanus *in Quodlibet. 3. qu. 12.* describunt, per participatam similitudinem luminis increati, in quo contineantur rationes æternæ; Nos clarius: ipsam vim judicandi, & honestum à turpi, justum ab injusto, bonum a malo discernendi, quæ materialiter & secundum rem est ipse intellectus hominum rectus, quamvis formaliter & secundum concipiendi modum distinguatur. B. Joh. Zeisold in *Tr. de naturalibus notitiis. §. 268.* & 165. Ceterum non ignoramus, quamplurimos etiam rectæ rationis existentiam vocare in dubium; cum tamen eo concessu intellectum, ne circa moralia quidem naturaliter rectum fore, afferendum erit, ut homo maturæ ætatis, adhibita-

cultura & necessaria meditatione possit recte comprehendere minimum generalia istæc principia, quæ ad vitam hanc tranquille cum aliis exigendam faciunt, atque ex illis judicare, quæ humanæ congruant indoli, quæ vero ab eadem recedant, tunc sane quibusvis delictis suis ignorantiam invincibilem saltem in foro humano obtendere possunt, cum nem o in hoc argui possit, violasse regulam, quam capere supra ipsius vires est. Illustris Dn. de Pufendorff, *in lib. 1. de J. N. & Gentium c. 3. §. 3. p. 37.* Accedit, quod quidam Moralistarum non contemnenda auctoritate reperiantur, juris naturalis invincibilem ignorantiam pesimo ausu propugnantes, Antonius Corduba *in lib. 2. Theolog. Moral. quest. 4. dub. 5.* Gabriel Vasquez *in 1. 2. Disp. 122. c. 2.* Hieronymus ab Angesto Tract. I. *Moral. c. 7.* Illorum latebras detecturi, fraudesque dissipaturi, operæ duximus pretium, aliquo tantum probare argumento, dari rectam rationem. Scilicet, qui ita judicat de recta ratione, aut recte judicat, aut male judicat: Si prius, ergo datur recta ratio: quia judicium rectum tanquam effectus testatur de tali causa sua, si male judicat, adhuc superest recta ratio: quia rectum est obliqui index H. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 22. §. 4.* & oppositorum uno posito, alterum quoque ponи nesse est. Quandiu igitur hæc dictamina sua ita perficit, ut inter colligendum non deveniendum sit ad absurditatem, se ipsam conscientem, tamdiu in illis quærimus juris naturalis promulgationem, neque aliam esse necessariam judicamus: et si leges naturales scripto exprimere ac publice proponere propter humanæ mentis imbecillitatem, voluntatis pravitatem, peccandi consuetudinem & in primis varia judicii recti impedimenta, cum vel metu, vel voluptatis præsentis illecebra corrumpatur, aut temerario rapiatur impetu, H. Grot *in Proleg. de J. B. & P. §. 9.* tutius fore concedimus, Excellentissimo DN. Andrea Göttschio *in Disp. de Substantiali consensu Parte*

terno ad nuptias filiorum familias requisita. §.3. p.5; dummodo probe servetur discrimen inter leges civiles, ratione autoritatis, & ratione originis. Illustris DN. de Puffendorff de O.H.E.C. lib.2. cap. 12. §.2. pag. 275. Priori enim sensu in scripturam alegislatore redactæ leges naturales vocari possunt civiles, ut ut originem suam adhuc debeant voluntati divinæ, principium vero probandi ad conditionem naturæ humanæ referunt; sed non posteriori sensu referant, quo leges a voluntate summi imperii civilis profectæ, & ad utilitatem singularum civitatum destinatæ id ferunt nominis. Procul dubio eandem intellexit acceptiōnē Albericus Gentilis in lib.1. de jure belli. c.3. ubi docens, dari ius civile universale, quod omnes populos obliget, fundamentum collocavit in jure naturæ, sed pro ratione status civilis commode applicato, atque ita multum differente à jure civili distributo inter gentes, cuius meminit H. Grot. lib.2. de J.B.E.P. c. VIII. §.1. Et quanquam Jurisprudentia Romana naturali juri plurimum attulit lucis, dum J. C. t. veteres omnia revocarunt ad rectam rationem & æquitatem, imo multa pertraxerunt, quæ spectant ad pædiām Juris naturalis; nihil tam secundus fuit opus peculiari disciplina aliqua, quæ ex professō formaret mores honinum ad Legem naturalem, ne fines eius transfilirent imperiti juris positivi censores. Quibus sciendum est, summos imperantes in Rebus publicis his legibus naturalibus vim & efficaciam legis civilis impertitos esse, quibus vel poenam adjecerunt, e. g. adulterio, velex iis actionem forensē dederunt, e. g. ex constituto, exclusis illis, quarum obligatio ex communi opinione, vel solo pudore & innocentia conscientiae mentis adhuc continetur. e. g. lex naturalis de grato animo pro beneficiis præstando. Quo arctius inde colligatur legum vinculum, eo minus permittitur officiorum fontes, e quibus homines hauriunt, quid sibi in hac vita, ut honestum sit agendum, ut turpe fugiendum, deinceps turbare. A lumine enim

enim rationis (non extincto, sed ab eo accenso lumine experientia) deducuntur officia hominis, qua hominis, sine discriminatione religionis, etatis, nationis & similium praestanda, in quibus dirigendis unice versatur Jurisprudentia Naturalis. Ex legibus civilibus fluunt officia hominis, qua ciyis est, pro varietate Re-publicarum solenitatibus variis circumvestita, ac justis etiam poenis munita, & premiis, quorum contemplationem sibi vindicat Jurisprudentia Civilis. Ex speciali denique Numinis Divini revelatione officia hominis, qua Christiani, erantescunt, quae ad majorem Dei cultum, & perfectiorem sui ac proximi amorem incitant, istorum explicationem Theologiae morali, regundorum memores finium, relinquere, sancte tenemur.

§. VII. Prae ceteris autem illi, qui de moribus & vita emendanda scripsierunt, a scopo petissimum disciplinarum suorum petunt discrimina, unde etiam istius ante omnia habere rationem, nostra plurimum interest, ut vel eo cognito, fines jurisprudentiae nostrae melius constituamus. Geminus enim a nobis exprimitur: unus quidem remotus, tranquillitas totius generis humani, alter proximus, explicatio & applicatio legum naturalium. Circa priorem exigias modo necentes moras, confusorum finium agimus reos, qui Pelagium, Monachum Britannum, ab Augustissimo Patrum Augustino refutatum, (de Pelagianis hic dicere fuit solitus: Sub laudibus naturae latent inimici gratiae) in lib. de Nat. & Grat. cap. i. & g. lecuti, juri naturae scopum plane supernaturalem assignant, & paganorum quosdam sola lege naturae salvatos esse, & etiam nunc salvari, operose, sed impiè defendunt. Præter Moralistas, quos brevitatis studio non tangimus, primus in scenam prodiit, Marcus Antonius de Dominis, strenuus sententiae hujus assertor, in lib. 7. de Republ. Eccles. c. 9. §. 14. Franciscus Puccius, portentum istud Italiz in Tr. de Christi efficacia in omnibus hominibus, quem cum

cum aliis allegavit & probe castigavit. B.Balthas. Meisnerus in *Tr. de Legibus l.3. qu. 4. p. 186. seqq.* Moses Amyraldus, Professor in Academia Salmurienti, cuius sententiam adfert & sub veritatis examen revocat, B.Dn. D.Kromeierus in *Theol. Positiva p.m. 384.* cui jungendus erit B.D.Kortholt in *Tr. de tribus impostoribus. sect. 2. tot.* ubi contra præcipuos Naturalistas calarium suum egregie strinxit. Parum quoque valet ratio ipsorum ita concludentium: Cujus legis transgressio, ignorata etiam omni lege supernaturali, sufficit ad æternam damnationem, ejusdem observantia conductet ad æternam salutem consequendam: quippe illa ideo damnat, quia consummatam continet malitiam, hæc vero minime salvat, tum quia merenti non prorsus est indebita, sed ab ipso per legis naturalis præscriptum debetur summo Numini, tum quia eidem plura desunt, quæ ad tale opus in genere suo requiruntur, ut perfecte sit bonum. Conf. Joh. Henricus Heideggerus in *Anatome Concilii Tridentini Historico-Theologica, Sess. 6. qu. 21. p. 260.* Henricus Sommerus in *Tr. de merito cap. 1. §. 12. seqq.* Quibus succinit cordatissimus Juris naturalis interpres, Puffendorffius in *lib. I. Element. Jurispr. Univers. Defin. 8. §. 11. p. 326.* his verbis: Actionis bona formaliter & in se nullum omnino est meritum, & omnium clarissime, l.c. def. 20. §. 1. p. 336. Mortali nullum meritum adversus Deum esse potest, etiamsi demus, ipsum perfecte legem Divinam posse implere, (quia ex actione debita nullum resultat meritum) adeoque Deus nullo modo fieri potest hominum debitor. Male igitur causæ suæ consuluerunt, in præsenti negotio dialecticorum crepantes regulam: Oppositorum opposita sunt consequentia, quam in pluribus, non vero in omnibus procedere, dum fassus est Francisc. Zabarella in *lib. de Accretione c. 5.* non necessitatem, sed probabilitatem ei tribuendo. Et propterea opus erit, cum limitatione acutissimi Metaphysici, Danielis Stahlili in *Part. II. Diff. 19. Reg. 18. §. 19.* eandem intellexisse, sc. de op-

positis, pari gradu inter se pugnantibus. Sed paria non sunt bona opera secundum legem naturalem, & mala opera contra illam praestita: Quoniam haec sunt perfecte mala; illa imperfekte bona. Quamobrem haec dominant, illa autem neminem salvabunt.

§. VIII. Propriorem Jurisprudentiae naturalis scopum nobis porro indagantibus statim is occurrit in Legum naturalium explicatione & applicatione: Quarum illa secundum regulas Hermeneuticæ, quas sumnia diligentia collectas ab Hugone Grotio, *l. 2. de J. B. & P. cap. 16.* illustratas a Puffendorffio *l. K. de J. N. & G. cap. 12.* & vindicatas a celeberrimo nostro Thomasio in *Institut. Jurisprudentie Divina, lib. 2. cap. 12.* habemus probe instituta, Dei voluntatem uberrime manifestat, in præceptis & interdictis reluentem. Et quoniam hominum mentibus haec singula tantum infixa sunt, explicatio juris naturalis absolvitur demonstrationibus, a quibus ne conclusiones quidem exceptæ, sive facilem, sive difficiliorum habeant cognitionem, sive proxime, sive remote e præceptis fluant. Vid. DN.D. Beccmann in *Conspictu Politico cap. 2. pag. 10.* Qui igitur legem naturæ plenius intelligere vult, totum ejus dictamen animo suo concipere debet, omnesque addere circumstantias, & conditiones rei coharentes, quibus omnibus positis lex naturalis primum obligare incipit. Demitis vero non quidem mutatur aliquid, quod juris naturalis est, sed declaratur, nunquam id fuisse juris naturalis, quia omnes conditiones necessariae non ad fuerunt Guilielmus Grotius in *Enchiridio J. N. c. 3. § 9. pag. 44. & a. 11. §. 4. pag. 177.* Atque, his in tempore observatis, antinomiam jurium naturalium ab aliquibus temere confitam, facilis dissipamus negotio. Sic inter se pugnare videntur præceptum juris naturalis hoc: Alteri depositum esse reddendum; & illud: non esse occidendum. Contra quod peccare videtur restituens furioso gladium, quo se postea occidit. Parum enim, quantum ad

ad hoc attinet, interest, an homicidium quis committat, an vero cædis instrumenta subministret. Simpliciter juris naturæ est, hominem non esse occidendum. Quod tamen maleficus, cui capitale imminet supplicium, negat, aliud idem humine naturæ notum pro se allegans: quod tibi non vis fieri, alteri ne faceris. Unde nunc dicat quis, dum utrumque juris naturalis esse conceditur, unum autem observatur, alterum minus,anne id quod antea erat illicitum, nempe occidere, jam fiat licitum? quando Magistratus gratissimam Deo victimam offert, merita poena soneam afficiendo. Verum hanc apparentem pugnam ita conciliamus, scilicet in ipso Jure naturali, unius juris alterum esse interdum limitationem & explicationem, quod in allatis exemplis quoque locum habet. Hinc præcepsum illud: depositum est reddendum, restringitur per hoc generalius: Mala & occasio ad ea omnino sunt fugienda. Perinde istud interdictum: Ne occide, limitatur per hoc, simili modo generalius: Delicta sunt punienda. Talis itaque limitatio & restrictio omnem, quæ subesse, jam putabatur, contrarietatem tollit & avertit. Aliud hujus antimoniarum exemplum legere licet apud Puffend. in l. 1. de O. H. & C. c. 5. §. 6. ad quem benevolum lectorem remittimus. Ceterum ex supra dictis cognoscitur, Juris naturalis interpretationem multum differre ab ea, quæ legum est positivarum, maxime autem scripto comprehensarum, quippe illarum declaratio meritis conjecturis, seu rationibus saltem probabilibus utitur, non obstante, quod leges Positivæ, praesertim civiles ex recta etiam ratione profluant. At non immediate, uti naturales, sed mediate, interveniente summorum Imperantium voluntate, a qua in origine & duratione pendent. H. Grot. in l. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 24. ut tamen ratione nitantur & æquitate, patet hoc, cum aliunde, tum vel hinc in primis, quod in dubiis Legum civilium sententiis, ad Jus naturæ, seu ad id, quod æquum esse naturali ratione demonstratur, recurrere soleamus,

& interpretationem desumere. Recte ergo Hugo Grotius & subtiliter jurium perfecit genealogiam *in Proleg. de J. B. & P. & P. 16.* Naturam humanam juris naturæ matrem : juris gentium aviam : juris civilis proaviam affirmando. Neque opus habuissent B. D. Ziegler *in not. ad b. l. & D. Jæger in Tr. de Legenature quæst. 2.* Grotio propterea nescio quem crassum impingere errorem, ceteroquin valde familiarem Gabrieli Vasquezio *in t. 2. Tom. Disp. 150. dub. 2.* quasi naturam humanam pro causa efficiente legis naturalis venditaret, cum potius hoc designarit nomine : ut, quemadmodum mater partum custodit & conservet; ita humana natura legem naturalem, in mente immortali insculptam forveat ac tueatur. In qua comparatione, quam indoles similitum depositit, si permanemus, nihil plane incommodi hanc sententiam premit, nedum opprimat, quo minus a Grotio semel electa, a nobis iterum in lucem revocetur.

§. IX. Doctrinæ tuiti ordinem huc usque interpretationem præmisimus Legum naturalium applicationi, quarum illa in intellectu; hæc in selectu rerum agendarum versatur, licet itidem scopum præbeat proximum Jurisprudentiæ naturali. Nam jurisprudentia ambitu suo nihil aliud comprehendit, quam legum prudentiam : primo ferendarum in autore (quam Deo à: 9: et 10: & magis secundum id, quod videtur nobis, quam quod est in præsenti tribuere quis prohibuerit. Hugo Grot. l. 2. de J. B. & P. cap. 13. §. 3.) deinde declarandarum in docente & interprete, deniq; applicandarum in judice. Quæ de causa Jurisprudentia ipsa modo legislatoria, modo consultatoria, modo judicialis est: illam hic loci non tam exponimus, quam supponimus: istam quæ actiones futuras, & hanc potissimum, quæ ad actiones præteritas leges naturales applicat: in illis dirigendo, in his vero vel probando vel rejiciendo occupantur, nostro labore subjiciimus. Quanquam vero in præcedentibus quam maxime judici, pro tribunali ambigua causarum fata dirimenti, applicationem le-

legum tribuisse videmur; propterea tamen ab hac noluiimus exclusos alios etiam homines sive ad publica, sive ad privata negotia Leges naturales applicaturos. Singulos enim prudentia legum instructos esse oportet, ut negotia praesentia ordinent, futura prævideant, & præteriorum recordentur. Sane, qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit, qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Quenadmodum vero habitus voluntarii diriguntur ab habitibus intellectualibus, & quidem practicis pro objecto habentibus cognitionem actionum humanarum; ita etiam cum actionibus voluntariis comparatur est; nimis honestas prudentia, turpes astutia, indifferentes solertia dirigit ac moderatur, præclare hæc docentem singula sequimur celeberrimum DN.D. Thomasium in *Inst. Jurispr. Div.* I. 1. c. 1. §. 11. & 21. Neque refragatur Peripateticorum summus Dux, Aristoteles, in lib. 6. Ethic. cap. 5. ubi asslerit, prudentiam perficere appetitum in ordine ad bonum, ut hoc modo directrix virtutum fiat & actionum moraliter bonarum, Conf. Wendelinus in *Philosoph. Moral.* lib. 1. cap. 35. p. 1217. Thomas Sagittarius in *Exercitatione Ethica VI. quest. 4.* p. 100. Samuel Strimesius in *Praxiologia Apodictica* cap. VII. §. 6. seqq. p. 195. Obtento igitur eo, prudentiam omnia bona in omnibus circunspicere, & a malis discernere, inde facienda fugiendaque in omnibus indicare, omnemque prorsus avertere confusionem; ductum ejus secuti jurium naturalium applicationem certis regulis includemus, quarum præcipuas tantum adduxisse, consultum erit.

§. X. Quandoquidem nihil frequentius accidit, quam Legis naturalis præcepta misceri cum iis, quæ ex mera pendente revelatione, commodum fore existimamus, in ipsa applicatione fines Theologiae moralis & Jurisprudentiae naturalis prima separasse regula. Quodcumque lumine naturali clare & perspicue demonstrari nequit, id etiam jure naturali haudquam præcipitur, et si non, & que prohibeatur

aut concedatur. Hinc excluduntur ea morum capita, aliquod fidei mysterium vel includentia, vel minimum præsupponentia, de quibus ideo Jus Naturæ nihil disponit, quoniam rationis lumine tantum ntititur, in finibus probationum suarum mirante tuendis, ex illo autem mysteria nec cognoscuntur, nec probantur, quamvis illud ex novitatis pruritu sibi persuaserit, DN. Alexander a Roel in *Tr. de religione naturali* §. 4. seqq. Hisce jam perspectis nec præceptum de Trinuno Deo adorando, nec interdictum de magia fugienda, nec prohibitio incestuofarum. nuptiarum, aut similium, jus naturæ velut extra limites suos sicorum, attingere potest. Sic non illud præceptum inculcat, qui tremendum Trinitatis mysterium in sece continet, utpote quod Bartholomæum Keckermann. lib. 1. Synt. Theolog. cap. 9. Philippum Mornæum in lib. de veritate Relig. Christiane cap. 6. Hug. Grotium lib. 4. de veritate Religionis Christianæ pag. 216. & 217. aliosque, sive ex lumine rationis, sive ex testimonii veterum Philosophorum traditione sola imbutorum demonstrare olim conatos, sacrorum hostium ludibrijo sece exposuisse, meliora ac certiora proponenti merito credimus, DN. D. Joh. Andr. Schmidio, Theologorum ornamento, in integra Disputatione, cui titulus: *Ratio in mysterio Trinitatis captivata.* Ad interdictum de Magia progressuri, a vero abludenter deprehendimus, DN. D. Joh. Adam Osiandrum, Theologum scriptis insignem, in *Tr. de Magia*, Tbes. 35. pag. 88. ubi pollicetur, sc ex ratione firmiter ostensurum, omnium gravissimum fore delictum, magiam. Certe, nisi nos omnia fallunt, ipse oblitus est eorum, quæ in *Theologia Casuali*. Part. 1. cap. 1. de angelis qu. 1. p. 460. contra Scholasticos disputavit, præsertim contra Joh. Baptistam Gonçalum in *Clypeo Theologia Thomisticae*. Tom. 2. C. 7. Diff. prelim. art. 2. §. 2. partim ex hujus universi perfectione, partim ex rei creatæ cum opifice suo assimilatione probantem. quando pertendit, non demonstratione, sed conjectura rationem

JURISPRUDENTIAE NATURALIS

nem nostram assequi angelorum existentiam, adeoque se posita
Scripturæ S. revelatione illam mere probabilem fore nendum
ad malorum angelorum lapsum, quem Magia secuta est, & ve-
rum ac purum esse mysterium, rerum sacrarum peritum uno
ore fatentur, probandum ulli sufficere. Denique, ut perva-
niamus ad prohibitionem incestarum nuptiarum, quam levia
pro eruenda harum turpitudine, e lumine naturali passim
proponantur argumenta, vel ab ætatis disparitate, vel a re-
verentia, vel a pudore insito desumpta, in fluctuante eti-
am Hug. Grot. deploramus, *in lib. 2. de J. B. C. P. a.*
§. 12. Cum longe satius egissent, firmis destituti rationi-
bus, si scripturarum adhibuissent suppetias, quippe quæ per-
fectissimam vivendi rationem tradunt, ut quibus imbellior
est ad ratiocinandum vis animi consulatur; & qui impetu in
diversa trahuntur addictius regantur, & fine ac modo cœr-
eantur. Vigeat Lex Dei positiva, ejusque litera in dubio
mille præstet rationibus. Fluctus enim dissensionum in re
tam ardua non aliunde coorti sunt, quam ex ignorantia my-
sterii, de identitate carnis inter conjuges contracta, ceu ad
stipulatur nobis celeberrimus DN. D. Joh. Reinhard. Hedin-
gerus *in Siciliment. ad H. Grotium, Disp. de Junctura persona-*
rum V. §. 4. p. 46. Ex hisce singulis non fines solum, qui jus na-
turale, prout a nobis istud traditur ac declaratur, a Theologia
morali separant, probe constituuntur, sed plerorumque etiam
sententia egregie confutatur, afferentium, jus naturale effi-
ctum repugnare dogmatibus veræ Theologiz. Morum ar-
gumentis, quid nervorum insit, num videamus. Inprimis ve-
ro magna animi contentione objiciunt, abnegationem sui.
Largimur quidem hanc in coercitione prava concupiscentia,
consistentem, valde necessariam esse, quoniam efficit, ut homo
a se deficiat, neque sui amplius esse velit, sed potius se totum
Deo tanquam opifici suo resignet; nihilominus cum perso-
lam.

CAP. I. DE NATURA

Naturam investigari nequeat, pravam concupiscentiam esse peccatum, multo minus ulli, nisi divina litera ipsi prælustrarent, constare poterit, ex eadē demum oriri affectuum rebellionem, & per culpam primi hominis in nos propagari, propterea jus quoque naturale ad abnegationē sui præcipiendam non abit, ad quam nequit ratio pertingere. Merito igitur relinquimus eandem ut primum principium vita Christianæ, & mortem Christianorum philosophicam Theologis examinandam & inculcandam cum DN. D. Beermann *Conf. Moral. c. 14. p. 437.* Thoma de Kempis in lib. 3. de imitacione Christi cap. 39. & Joh. Suffreno in Circo perfectionis (Monachii edit. 1648.) Medit. 3. p. 93. Insuper habentes illorum exceptionem, quod homo sibi relictus inordinatos & in devia tendentes affectus sentiat: quippe a sensu pravorum affectuum in pectore ad intellectum ipsius originis aut radicis, a qua succrescunt, non valet consequentia. Alter scrupulorum, quem injiciunt, pugnam inter Theologiam & Jurisprudentiam naturalem commentant, in dilectione inimici quæsusit, facile dicitur, si quando in inimico distinguimus naturam & noxam. Quemadmodum igitur ob naturæ humanæ consortium, & quod ex eodem semi nobiscum oriundus, etiam lege naturali diligendus est; ita ob certæ noxæ periculum præter divina morum præcepta eundem cavendum ac fugiendum esse, lex naturæ postulat. Quoniam homines proprius ad communionem jurium nostrorum accedunt, eo plures amandi ipsos causæ ultro se offerunt, at iniurici iura nostra impedientes, illas propria culpa sibi subtrahunt: non quidem omni, sed potiore & justiore, ut a Grotio vocatur in lib. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 8. n. 10. dilectione se spoliant. Augustissimus Patrum Augustinus nostræ sententiæ album adjicit calculum in Epist. 54. Facile, inquit, est atque proctive, malos odire, quia mali sunt, rarum autem & pium, eosdem diligere, quia homines sunt: ut in uno simul & culpam improbes & natu-

ram

ram approbes. Et sane ipsi Pagani, sola naturæ lege ducti, bella quidem gerunt, sed citra odium personæ, sola intentione iuris sui persequendi. Ex veterum monumentis protrahamus nobiles illos Sogdianos ab Alexandro retractos a supplicio, & interrogatos: an vivere vellenti nimici illi? Caute respondent apud Q. Curtium *in l. 7. c. 10.* nunquam se inimicos ei, sed bello lacesitos, hostes fuisse. Ad eandem plane mentem Germani proverbio etiam morum aliquod præceptum invenerunt, dicentes; **der Person Freund/ der Sache Feind.** Tandem ex jacto superius fundamento nunc destruimus Jurisprudentiam naturalem, quam Christianam aliqui confinxerunt, facta revelationis & rationis confusione, quæ & seditiones in Republica, & hereses in Ecclesia parere satis apta erat. Ne dicamus, quemlibet habitum non a possessore aut cultore suo speciem sortiri, ac denominationem capere, sed potius ab objecto eum constitutive. Palam quoque omnibus esse putamus, applicationem non immutare disciplinæ naturam, sed usum ejus uberioris ostendere. Aliud denique est, mysteria e scriptura proponere, aliud historias ibi extantes allegare, & in ipsis sanæ rationis consensum querere: istud reprobamus; hoc vero commendamus præunte nobis Celeberrimo DN. D. Thomasio in *Introduct. ad Philosophiam Auticam c. 2. §. 32. seqq. p. 60.* ubi omnium optimæ hanc finium in Philosophia Christiana confusionem sustulit, ac longe meliorem istorum instituit rectiōnem, ut cupidum veri lectorem facile in assensum posset pertrahere.

§. XI. Etsi nil fere in jure positivo occurrit, quod non aliquo modo pertineat ad jus naturæ, utrumque enim ex recta ratione nascitur. Hugo Grot. *de J. B. & P. Proleg. §. 16.* Hugo de Roy *de eo, quod justum est. lib. 1. Tit. 3. §. 2. & lib. 2. tit. 2. §. 3.* & utrumque eum sibi finem habet propositum, ut serviat hominum utilitati; præterea tamen civile etiam societatem respicit **civilem**, & comprehendit non pauca juribus naturalibus ex

libera legislatoris voluntate superaddita, quorum intentu ad jurisprudentiae naturalis fines commode regendos alteram adhibeamus regulam: In quoque negocio fictio, solennitas & certum genus poenae requiritur, in illo non habet locum juris naturalis dispositio, illa enim evidentiam, isthac simplicitatem, hoc autom. ejus communitatem quodammodo destrueret. Atque a fictione, quæ Jacobo Corrasio *de Jure Civ. in artem redig. p. 3. c. 7. p. 341.* est legis adversus veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio, jam ordiamur. Ratio ne hujus plura jure civili sunt irrita, quæ tamen jure naturali valent, ne vero multitudine obruamus lectorem, sententiam nostram uno saltem illustraturi sumus exemplo, quod a donatione depromimus: Nam jure civili satis expeditum est, donationem inter Patrem & filium nondum emancipatum haud subfistere (*L. 17. C. de Donat.*) quoniam eo jure pater & filius eadem persona esse pene intelliguntur, (*L. fin. C. de imputac. alii substitut.*) en fictionem! Nihilominus jure naturali hæc plane cessat, & donatio Patris conscientiam obligat, ne temere eandem revocet, & ipse filius familias per traditionem rei donatae dominium sibi acquirit, quia morali æstimatione Pater & filius sunt distinctæ personæ: Nobiscum agnoscunt valorem hujus donationis inter Moralistas. Joh. Azorius *in Instit. Moral. B. 6. lib. 11. c. 10. qv. 1.* Emanuel Sa *in Apb. Confess. de Donat. p. m. 96.* Angelus a Clavasio *in Summa C. sub tit. Donat. p. 118.* quibus pariter accedunt Illustris DN. de Puffendorff. *in Elementis Jurisprudent. Univers. lib. 1. def. 12. §. 6. p. 128.* Charisius *de foro conscientie, cap. 5. n. 13.* Pari fundamento nisi donationem inter conjuges jure civili expresse prohibitam (*L. 1. ff. de donat. inter virum & uxorem*) jure tamen naturali ut validam, quo juria vitam turbatura conjugalem melius impediantur, non sine prægnantibus amplectuntur rationibus Thoma & Sanguez *de Matrimonio lib. 6. Diff. 1. n. 2.* Ludov. Molina *de J. c. f. Tr. 2. Diff. 289.*

289. p. 22. Anton Diana *Resolut. Moral.* Tom. 6. Tr. 7. Resol. 67. 4.
 Caramuel a Lockevvizi in *Theol. Moral.* lib. 2. n. 52. Ex adverso,
 quæ per fictionem jure civili valent, jure naturali sunt irrita. Sic
 lex civilis fingit infantem adiisse hereditatem, (*L. si infanti 18. C.*
de jure deliberandi) ut eam transmittat. DN. D. Sonneman de
jure infantum cap. 2. §. 27. seqq. cum tamen naturæ fieri non po-
 tuerit talis aditio, quatenus in ea animus & voluntatis usus re-
 quiritur, qui infanti nondum convenit per ætatis imbellicita-
 tem: Joh. a Reberteria in lib. 3. *Topic. Jur.* cap. 1. *Loc. de fictioni-*
bust. p. 47. A veritatis igitur tramite abduxit, Vir quidam claris-
 simus, cui meritam non invidemus laudem, Disputatione sua,
 quam de fictionibus juris naturæ & gentium haud ita pridem,
 conscripsit, neque gemina ejus, quæ ibi magno molimine adfert,
 fictionis in jure naturæ exempla, tantum controversia momen-
 tam perficiunt: Quorum unum *I.c. §. 20.* ab identitate populi, aut
 immortalitate Reipublicæ, cui non obstatet quosdam civium
 mori & alios in eorum locum, vel nativitate, vel cooptatione
 succedere, prolixe deduxit. Verum enim vero ipso non invito
 hanc identitatem & perpetuam durationem non fictioni tri-
 buimus, sed continuæ personarum sub eodem pacto & imperio
 successioni: Licet itaque homines pereant, manet tamen u-
 na species. Hugo Grotius de *J. B. & P. I.* 2. c. 9. §. 3. Non e-
 nem, cuius corporis partes pereunt, utique interitum obnoxium
 est, sed cuius omnes partes simul & eodem tempore pereunt.
 Bene Seneca in *Epiſt. 58.* manet idem fluminis nomen, aqua
 transmissa. Sicut & Aristoteles lib. 3. *Polit.* cap. 2. flumen popu-
 lo comparans dicit: flumina eadem vocari, quamquam alia sube-
 at, semper aqua alia decedat: sic externa illa hominum accessio
 populum aliud non facit in Republica, (*Conf. Dn. D. Alberti*
Disp. de Immortalitate Reipublice lib. VI.) ut propterea fictione ju-
 ris naturalis opus esset, ne obligationi pactorum se subduceret
 a majoribus suis initiorum. Idem plane defendit B. Dn. D. Velt-

hemius in *Introd. ad H. G. l. 2. c. 9. qu. 4. p. m.* 858. Sufficit, inquit, realis continuatio unius ejusdemque ordinis, ut una eademque numero maneat. Alterum vero, quod Vir clarissimus objicit *Diss. cit. §. 21. ad restitutionem* damni spectat. Nimirum existimat fictione juris naturalis translativa eum teneri ad restitutionem, qui damnum quidem dolo malo, non tamen, nisi mediate & per alium dedit. At quisquis rem ipsam sine partium expendit studio, facile advertit, Clarissimum virum, falsa usum hypothesi, quod causa moralis non sit vera causa, ad hanc demum fictionem delapsum esse. Nos eandem profligamus hac ratione; quia causa moralis intentione, tanquam vera actione & libera, virtute potentiae activae producta, quae ordinem ac respectum habet ad effectum per intermedium causam physicam principalem producendum, omnino concurrit, ut vere faciat, quod per aliam fieri intendit. H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 6. §. 9. c. 17. §. 13. lib. 3. c. 24. 21. Illustris DN. de Puffendorff. in lib. 1. de J. N. & G. c. 5. §. 3. p. 61. Dn. D. Petrus Musæus P. s. Instit. Metaph. c. 10. §. 9. & Auctor der Klage der causæ morali und Conditionis sine qua non. Ideoque mediata damni productione, vera ejus causa evasit, cui & imputationis & restitutionis incumbit necessitas. Cæterum singula, quæ contra fictiones juris naturalis pro tulimus, non eo fine destinavimus chartæ, ut quicquam præcipieremus, aut viam monstrare vellemus, multo melius callenti; sed ut sententiaz Puffendorffianaz innocentiam vindicaremus, relinquentes hanc de fictionibus juris naturalis eminentiam sententiam, fines jurisprudentiaz nostræ valde turbantem, melioris Doctorum discussioni, & communi Palladas dedicamus templo, veriorem opinionem ab Antonio Dadeno Alteserra, qui quicquid fere fictionum cadit in jus civile, in ordinem & certas classes digessit, protrusam in lib. de fictionibus iuris. p. 3. tr. 1. ubi præclare ait: Fictiones locum habent in his, quæ sunt juris civilis, ut in postliminio &c. sed ea, quæ facti

cti sunt, seu juris naturalis, fictionem non recipiunt. Addit ibidem Fictio est remedium Juris Civilis, merito igitur huic locu non est, nisi in his, quæ sunt juris civilis. Et tandem concludit: In foro igitur conscientiæ, nec fictiones, nec præsumptiones spectamus. Huic adstipulatur Albericus Gentilis *in lib. 2. de jure belli c. XVI. p. 339.* dicens: vera realia, non ficta, non verbalia, amat jus gentium & naturæ. Sed plura de fictione, quam jus naturæ excludit, cumulare testimonia, tum magnitudo disputationis prohibet, tum festinatio, ut ea explicemus, quæ exorsi sumus de solennitate. Videlicet, nullum solenne, qua *rale* e jure naturæ descendit. Monemus autem hoc non omnes pactorum & ex contractuum externas ceremonias juris positivi esse, sed illas tantum, quas Leges Positiæ fecerunt necessarias. Ea est conditio negotiorum humanorum, ut *ius effectum*, ab animo pendentem, non possint ad solum animi actum præsentem producere, nisi is actus signis quibusdam indicatus sit; quia nudis animi actibus efficientiam Juris tribuere non fuerat congruum naturæ humanae, quæ nisi ex signis actus cognosci non potest. Hugo Grotius *de J.B. & P. lib. 2. c. 4. §. 3.* Externæ igitur Ceremoniae aut solennitates ideo adhibentur, ut per sensus nos instituant & doceant, quid agatur. Et quia omnis plenæ fiduciae appetitio ac sensuum doctrina naturalis est, etiam ceremonia quædam sunt natureles. Habent enim ejusmodi solennitates magnum & necessarium usum, quia informant, & certiores nos reddunt de præsenti negotio & saepe hebetiores per externas ceremonias & sensus melius informantur, quam per acutas ratiocinationes: multi etiam, quid ageretur, omnino non intelligerent, nisi per sensus & signa externa erudirentur, uti muti & surdi. Ita porrectio dextræ manus, quando ea Legibus Civilibus requiritur ut necessaria & essentialis contractus solemnitas, non est positiva ceremonia contractus: cui si solennia quædam ver-

CAP. I. DE NATURA

ta accedunt, nomen capit stipulationis. Verum eadem dexteræ prehensio apud omnes fere gentes, Romanarum stipulationum plane ignoras, hac intentione adhibetur, ut firmet promissa & pro re nata naturalis est atque necessaria, & que ac nutus, aliaque signa in pactis mutorum ac surdorum. Sicut ex his videamus, nimium sapere eos, qui omnes solennitates, ut inania & superstitionis hominum commenta explodentes opus maxime negligentis industria esse statuunt, illas observare, cum falso sibi persuaserint, ceremonias omnes civiles esse, neque evidentem suum habere usum ; ita hos parum callere veros Jurisprudentiae naturalis limites arbitramur, qui omnes contractuum & dominiorum species ad eam referunt, quarum tamen discrimina jus naturæ ignorat. Hug. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 3. & cap. 16. §. 11. DN. D. Thomasius in Inst. Jurispr. divine l. 2. c. 10. §. 161. & cap. II. §. 59. 64. Par judicium ferendum erit de actionibus, prout spectantur vel ratione formularum solennium civiliter compositarum (ut L. 2. §. 6. ff. de O. J. accipitur) vel ratione processus in publico judicio exercendi, ut formulae solennes erant juris Romani puri, de quibus consulatur eruditissima Disputatio Clarissimi Viri DN. L. Cellarii sub praesidio Illustris. DN. Strykii communis praceptoris nostri habita de Processu juris Romani Antiquo cap. I. §. 22. seqq. ita processus videtur esse juris civilis mixti, nempe persecutio juris, reique sua repetitio per se semper est juris naturæ & gentium, modus vero persecutio id, quo quisque sibi debet arbitratur, adjus civile spectat. Quo sensu DN. de Puffendorff. in lib. 2. de O. H. & C. cap. 12. §. 5. sententiam interpretamur, dicentis : Legi naturali subveniunt Leges civiles, quod adea, quæ ex illa debentur, haec actionem accommodant, cuius vi ista in foro civili per subsidium magistratus exigi possunt. Multo clarius etiam occasione pacti metu initio obligationem non naturalem, sed civilem producentis, de exceptionibus forensibus differit, Phoenix Germaniz nostræ

JURISPRUDENTIÆ NATURALIS

stræ B. Puffendorff. in lib. 3. de J. N. & G. cap. VI. §. 12. Iste exceptionum ambages magis ad usum fori civilis, quam simplicitatem juris naturalis pertinore, saltem ubi agitur inter eos, qui communem judicem non agnoscunt. Possemus de his evagilatiūs, & ea, tum repetitis e veteri memoria, tum vivis ac spirantibus exemplis confirmare, quomodo in negotiis mere solennibus juris naturæ fines maxime confundantur cum finibus juris positivi, sed acquiescamus in decisione Celeberrimi Joh. Tescarii in *Comment. ad H. Grot. lib. 2. c. 12. § 3. p. 420.* Ignorat jus naturæ subtilitates ejusmodi Lege civili inventas, ut rectius s̄p̄ foret, non habere illas proditas, quam ita misere ingenium illis torquere. Quid restat ergo, nisi ut paucis ostendamus, poenarum genera e jure naturali line gravi finium confusionē unquam erui. Etsi enim lex naturalis culpæ reos declarat omnes ac singulos transgressores ac poenæ reatum jure ipso infligit, simul recta ratio, laniatus per temeratam immittens conscientiam satisficitat, non passurum esse optimum Numen, & tam bene de mortalibus indies meritum, ut voluntas ejus ab homine per meram malitiam impune violetur ac condemnetur: nihilominus ipsum naturæ lumen eique innixum jns naturale nullam poenæ genus aut definit, aut etiam facto ipso infert, sed poenarum definitionem Deo, qui ad delicta noscenda sapientissimus, & ad expendenda aquissimus, & ad vindicanda potentissimus. *Grot. L. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 20.* permittit, aut etiam executionem magistratibus ex moribus gentium vel iure civili faciendum delegat. Hæc vero sententia ut melius intelligatur, paulo penitus examinanda erunt argumenta, ab adversa parte nobis adjecta. Quorum (1) a morsibus conscientiae desumitur, quos haud insimæ notæ Poeta Juvenalis, in *Satyr. 13. v. 212. seqq.* vivis coloribus ita depingit:

Cur tamen hosti
Evasisse putes, quos diri conscia facti

Mēns.

49 CAP. I. DE NATURA

Mens habet attonitos & surdo verbere cædit
 Occultum quatiētē animo tortore flagellum?
 Poena autem vehemens, aut multo sèvior illis,
 Quas aut Cæditius gravis invenit aut Rhadamanthus;
 Nocte dieque suum gestare in pectore testeim.

Hujus insuper poenæ, quam nemo effugit, exemplum dedisse
 Tyrannorum truculentissimum Neronem, qui sèpe confessus,
 se exagitari materna specie verberibus furiarum, narrat Suetonius in *Nerone* c.34. & Egesippus in lib. i. c.7. addit: immanitatem
 tanji sceleris mentem exulcerasse, non somnum oculis, non
 quietem animo datam. Conf. Paul. Zehentener in *verme conscientie* lib. 4. c. 12. & Barnabas de Rosalibus. lib. 1. de *conscientia* cap. 3.
 Verum dubium hoc quibuscumque blandiatur modis, optime
 tollitur per distinctionem ab Hug. Grot. in lib. 2. de J. B. & P.
 cap. 20. §. 4. traditam, inter poenas conspicuas & inconspicuas;
 quarum illæ in oculos incurunt, hæ vero in animis sentiuntur
 patientium. Conf. Gronovius in *Not. ad Grot. b. 1.* Lex igitur na-
 turalis inconspicuas, e. g. inquietem conscientiæ, obduratio-
 nem & similes decernit; non æque conspicuas, quæ ad exem-
 plum pertinent, ut alii deterreatur. Hug. Grot. lib. 2. de J. B. & P.
 cap. 20. §. 8. Quamvis jure naturali etiam in his detur puniendi
 licentia; poenæ tamen conspicuæ secundum genera sua non im-
 perantur. Sic Cain fatebatur (*Genes. IV. v. 14.*) per instinctum
 naturæ, quod certam poenam meritus esset, sed non continuo
 puniebatnr. Quod si apertæ & conspicuæ poenæ exactio fuisset
 jure naturæ præcepta, credibile non est, Deum tolerare diutius
 in his terris voluisse hominem hunc extreme improbum. Stet
 proinde Guilielmi Grot. sententia in *Encyclid. J. N.* c. 4. §. 6.
 Nullæ poenæ extrinsecæ proprie loquendo sunt naturales. (II.)
 a talione, antiquissimis celebratajuribus, sc. Mosaico vetere
 (*Exod. XXI. 27. Deut. XIX. 19.*) Lege Attica Græcorum, & XII.
 Tabulis Romanorum. Gell. *Noct. Attic.* l. 30. c. 1. Non enim est
 inju-

injuria, pati quod prior feceris, Seneca judice *L. 2. de Irac. 20.* Equidem largimur Hug. Grot. in lib. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 5. n. 3. Illustr. DN. Coccejo in *Disputat. de Proportione furti ac suspendii rupio laqueo* §. 6. p. 3. DN. D. Siegfried Ring in *Disput. de poena sine culpa* c. 1. §. 7. Natura non iniquum esse, ut quantum quisque fecit mali, tantundem patiatur, imo nullam legem tam aequaliter fore, quam ut quis idem patiatur mali, quod alios pati voluit, ac ne hiscere contra eam habeat homo, defendimus cum DN. D. Joh. Tesmaro in *commentar. ad H. Grot. l. c. p. 43.* sed omnes poenarum species hinc derivare, non audemus. Nullum siquidem vitium est, quod non sequatur incommodum: ita intemperantiam morbi, audaciam vulnera, contumeliam dicenti contumeliaz, læsionem mutuae socii læsiones merito comitantur. At qualis & qua ita poena pro quovis delicto sit infligenda ex talione ubique determinari non poterit. Fac illius intuitu aequalitatem inter poenam & culpam, tanquam primam aequitatis naturalis partem exigì, Seneca in *Epiſt. 30.* sed omnia poenarum genera ex talione in primis Pythagorica, cui Aristoteles totis viribus se opponit in lib. 5. Eth. c. 9. promere, nimis crudum, nedum vitio obnoxium erit. Qua enim ratione quis per talionem punire vellet, e. g. stuprum, adulterium, crimen læsæ maiestatis, beneficium, & reliqua crimina, quarum sat prolixum necit catalogum Illustr. DN. de Puffendorff. in lib. 8. cap. 3. §. 27. faciem sibi præferente H. Grot. L 2. c. 20. §. 32. & casum subministrante Dubravio lib. 22. Hist. Bob. p. 184. in vita Caroli Quarti occupato. Nempe cum nobilis quidam Zachora sacerdotem utroque privasset oculo, quod erroris in religione eum accusasset, & ad Carolum de lata injuria Zachora admissum facinus excusasset, quod animum non habuisset in potestate, & pro satisfactione pecuniam obtulisset, dicentem interpellavit Carolus, & hanc sententiam tulit: Non posse in hoc casu satisfactionem sibi absque talione constare, quando cæco in integrum restitui oculi nequeunt, sed oportere Zachoram pariter atque sacerdotem perdere oculos suos, neque aliter jus esse aequaliter. De poenarum

generibus hæc dicta sunt. Et quoniam candidi est hominis, hoc potius intueri, quod natura jubet; quam quod præcipit legum subtilitas, sine mora densam obstantium phalangem, ac jus naturale cum civili, spreta finium ratione, male collidentium justa strage fundemus & dissipabimus. Sic inter obligationes naturales, quas jus civile reprobat atque enervat, conventiones pupilli infantia majoris, filiū familiās mutuam pecuniam fumentis, mulieris fidejubentis eminere, huc usque creduntur, ex quibus neque actio, neq; exceptio, neque ullum aliud juris remedium detur. Præterquam vero, quod ejusmodi conventiones in se parum firmæ, utpote vel dolo eliciuntur, vel pleno & vero consensu destituuntur, adhuc jus civile non tam illis repugnat, quam non assit, ut modo dictis conventionibus agendi vim exhiberet, aut aliud juris auxilium ac remedium conferret. DN.D. Hedinger, in *Comm. aa Inst. de Oblig.* §. 4. p. m. 97. Simili fere ratione depelluntur, quæ de capitis diminutione media & maxima cognationem tollente, item de alimentis incestuosis proli jure civili non præstandis, deniq; de libertatis amissione, acri proferuntur contentionē: Cum tamen illa capitis diminutio non cognitionem auferat, quia jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt (*L. 18. ff. de R. J.*) quam jus succedendi & ad tutelam adspiriandi hinc impedit. Impedito autem effectu juris naturalis in certo casu, non mutatur aut impugnatur jus naturæ, sed tantum ejus efficacia suspenditur: Vid. Joh. a Reberteria in *Diss. juris L. 1. Pos. 9. p. 25.* Ceteruni de alendis liberis ex incestu prognatis in *Autb. cx comple Xu. C. de incestis nuptiis* ita agitur, ut subtractione alimentorum vel tanquam effectus patriæ potestatis, extra justas nuptias non obtinendus, spectetur, vel in detestationem adeo nefarii sceleris tantum permittatur, ut ut Illustri DN. de Rhetz in *Comm. ad Inst. Diff. XVIII.* pos. 8. pag. 309. magis arrideat opinio, qui de alimentis lautis, nec admodum necessariis allegatos textus declarat: quia maxime necessaria, & in quibus vita consistit, nec jus civile ipsis denegare voluisse verius existimat, ne necis causam videatur indulisse. Junctatur huic summo Viro, Illustris DN. Samuel Strykius, Jureconsul-

torum velut oraculum, in aureo plane *Tr. de Successione ab Intestato Differt. 1. cap. 2. §. 56.* Denique ad libertatis amissionem quod attinet, superveniente servitute inductam distinguimus inter jus naturæ & statum naturalem: illud utique immutabile est; hic mutabilis. Ipsa vero libertatis definitio satis hunc demonstrat, quæ continentur in §. 1. *Inst. de jure person.* ubi libertas non per jus naturæ, sed notanter per facultatem naturalem describitur. Cum igitur naturalis solum facultas sit, qua uti vel non uti hominum arbitrio relictum, appareat luculentissime, non pugnare cum Jure naturæ, quando libertas, vel moribus gentium, vel legibus civilibus, aut etiam pactis circumscrimitur, aut penitus adimitur. Conf. Hug. Grotius *lib. 2. de jure B. Et P. cap. 22. §. 11. Et 12.*

§. XII. Requirit fere jurisprudentiæ naturalis contemplatio, ut quæ in applicatione juris naturalis supersunt regulæ, sive finibus ejus regendis, sive in controversiis decidendis non parum adserunt momenti, easdem hic tradamus. Scilicet negotium aliquod in genere (seu ut alii philosophi loquuntur in thesi) potest a jure naturali præceptum esse, quod tamen in specie (seu hypothesi aut individuo) prout ad certas res, aut personas applicatur, eo jure tantum permittatur. Ita matrimonium, fœcundum istud generis humani seminarium, in thesi est præceptum, in hypothesi permisum. Conf. Illustris DN. de Puffendorff. in *lib. 2. de O. H. Et C. c. 2. §. 3.* Hoc volumus: Præceptum ineundi conjugii obligare totum genus humanum, non autem perinde singulos: Ratio est manifesta: quoniam conjugium non tam ad individui, utut maritus in uxore adjutorium, uxor in marito habeat præsidium, quam ad speciei humanæ conservationem introductum est. Non obstante, ex scortatione etiam nasci sobolem, sed contra votum vagi utentium venere. A prolis enim conceptione fœminæ, quæ sunt prostitutæ pudicitiæ, quam maxime abhorrent Guel. Grotius in *Enchir. J. N. Cap. IX. §. 5.* B. DN. Simon in *not. ad buj. Autoris Cap. IV. §. 7. p. 68. Et 69.* Neque a veritate alienum putamus, certum negotium obligare totum genus humanum, non æque

singulos ex hominibus. Quis nescit, militiam generi humano valde necessariam, imo in tanta publicarum injuriarum copia præceptam? non tamen propterea singulos esse milites oportet. Eadem sane ratio in præsenti recurrit, quia militia facit ad conservationem speciei humanæ, non autem ad conservationem unius jusque individui. Ex his igitur firmissime concludimus, cœlibes; qua tales, nec legis naturæ esse transgressores, neque a veteribus puniri potuisse, de quarum vero poenis luculentus testis est Valerius Maximus *L. 2. c. 9.* & *lib. 7. c. 7.* nisi ipsorum frequentia fuissest damno Republicæ. Alias non minimam cœlibatus meretur laudem, si e pio proposito suscepimus est. Hug. Grot. *in lib. 3. de J. B.* & *P. c. 3. §. 2.* cum animis non conveniat, nisi excellentibus Hug. Grot. *L. 2. de J. B.* & *P. c. 2. §. 21.* Quod vero per antiquas Romanorum leges militibus uxores circumducere non licebat, hæc erat causa, ne animi uxorum comitatu elangvescerent. Conf. Rosini *Antiquit. Roman. lib. 2. c. 12.* DN. D. Beccmannus in Parallelis Politicis *c. VII.* *§. 9. f. 425.* Ceterum nobis haudquaquam displaceat quorundam hac in re distinctio inter tempus mundi multiplicandi & multiplicati: illud si respiciamus, matrimonium ad jus præceptivum pertinet; quippe Deus præcepit, intenditque finem, multiplicacionem sc. propagationem, & fructificationem generis humani, adeoque necessario debuit intendere ac præcipere conjugium, quod velut adminiculum ad finem hunc consequendum probe conductit; hoc vero si consideremus tempus, juri permixtenti merito adscribimus conjugium. DN. D. Hahnii *ad Wesenber. Tit. de R. N. n. 3. p. 96.* DN. D. Simon *in not ad Guil. Grot. Encyription cap. IX. §. 5. p. 155.* Seldenus *de jure N.* & *G. secundum disciplinas Hebreor. lib. 5. cap. 3. p. 565.* Rebellus *de Obligationib. lib. 2. quest. 2. pag. 284.* Sanchez *de Matrimonio. Lib. 7. Diff. 80. n. 8. p. 259.* Ponce *de Matrimon. lib. 1. c. 3. n. 5. p. 4.* Sed ingenio nostro diffidere velle ne videamur, si de rebus tam perspicuis, cuivis non obviis, largius disseveramus: aliam, priori non dissimilem adferamus regulam: Sæpe actio quædam in genere (sc. in thesi) jure naturæ debita est, atque licita,

licita, quæ postea in hypothesi, sc. applicatione ad certam personam eodem jure fit indebita, & proflus illicita. In thesi, ut ita loquuntur, vitæ defensio naturaliter unicuique non tam concessa, quam opinionem plures, inter quos H. Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 1. §. 3. & 8. & c. 25. §. 7. D. N. de Puffendorff. de J. N. & G. l. 2. c. 5. §. 2. B. DN. Zieglerus in not. ad Hug. Grotium lib. 1. c. 3. §. 3: DN. D. Eisenhart in *Represent. Instit. Jur. Natur. cap. XII.* §. 33. & *cap. XVI.* §. 12. & 40. elegerunt, quam præcepta, uti partim ex charitatis & conservationis ordine, partim ex precaria vitæ possessione, partim ex cædis propriæ periculo, non pauci id asserunt. Vidi Joh. Georg Obrechtrus de *defensione necessaria* c. 1. n. 23. Christ. Kremerberg de *necessaria defensione* qu. 1. num. 55. Fr. Zolanettus de *necessaria defensione* pr. 1. n. 3. B. Q. flander. in not. ad Hug. Grot. lib. 1. c. 3. O. I. §. 3. B. DN. Simon in not. ad Guil. Grot. Enchirid. c. VII. §. 3. p. 121. B. DN. D. Mauritius in *Disput. de Vite defensionis favore.* §. IX. p. 900. seqq. Quod si vero in hypothesi, seu relatione ad invasorem, ponderamus hanc defensionem, non dubitamus tunc affirmare, illam nec contra quemlibet, nec in quolibet eventu permittam, ne dum præceptam fore. B. DN. D. Rachelius in *Tr. de Duellis* §. 25. p. 952. Fac invasorem habere imperium in invasum, idque non privatum, sed publicum, ac summum, quo casu defensio sui ne quidem licita erit, quin potius patientia mortis cadet sub obligationem: quia, meo unius bona multorum magis bonum præferre, ipsum naturæ jus imperat. Morti enim subiicere Reipublicæ caput, cum cuius salute tot hominum vota & magna felicitatis publicæ spes connexa & copulata est, nulla lex permitteret, cum unico hoc actu securitas & tranquillitas omnium Rerum publ. funditus everteretur. H. Grot. l. 1. de J. B. & P. c. 4. §. 7. & l. 2. c. 1. §. 9. DN. D. Thomasius. in *Instit. jurispr. Diviz.* lib. 2. c. 2. §. 89. Velthemius in *introd. ad H. Grot.* l. 2. quest. 9. p. 607. Quæ de causa detestamur Fernandi Vasquii lib. 1. *Controv. cap. 18.* Julii Clari *Recept. sentent. lib. 5.* §. homicidium. n. 30. Cardinalis Tuschii *Conclus. CXXXI.* aliorumque sententiam, prolixe contentantur, defensionem quoque cruentam esse licitam adversus o-

mnes, eoque etiam adversus Principem, ipsumque posse interfici, quando contra omne jus vellet offendere privatum & ipse privatus aliter effugere non possit. Sed malæ causæ adserunt rationes peiores, nempe eum principem, qui innocentem invadit, desinere principem esse ipso facto, & porro naturaleni rationem, subjectionis respectum excludere. Verum neutra sufficit tam arduo ac periculo negotio; non prior: quia ut dominia, ita & imperia non amittuntur delinquendo, nisi lex id statuat. Quæ autem hoc de Imperio statueret Lex, ut delicto in privatum amitteretur, nusquam reperta est: nec repertum iri credimus, summam enim rerum confusionem induceret. H. Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 1. §. 9. Neque posterior: quia semel subjecto nec paenitere licet & mutare voluntatem sine perfidiæ criminè, nec casum hunc eximere propter translationem juris sui in imperantem privative factam, atque adeo jus resistendi in præsentissimo etiam discriminé excludentem, ne si licentia resistendi remaneret, aut aliquo evenitu revivisceret, ipsas Respublicas in extreum conjiceret periculum. H. Grot. l. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 2. n. 3. & l. 2. c. 15. §. 14. Reliqua penitulatius iam examinare, nostri non erit instituti, Conf. hic quibus libuerit, DN. D. Thomasium in *Instit. Jur. Divin.* l. 2. c. 2. §. 88. DN. D. Beccmannum de pietate subditorum erga Principem, cap. 2. §. 8. D. Hedingerum in *confpect. J. N. tit. 36.* E moralistis vero Johann. de Dicastillo lib. 2. tract. 1. Diff. 10. Dub. 2. Filiuccium in *Ques. Moral. Tom. 2. Tr. 29. n. 38.* Anton. Cordubam lib. 1. qu. 38. dub. 1. quorum dogmata non promiscue probamus, ceu exactius illud de Moralistarum innocentia singulari ostendemus specimine, hic vero meliora docentes, tantum commendavimus.

§. XIII. Verum rumpendæ tandem sunt moræ, in hisce regulis commissæ; Plures enim addere disputationis nostræ scopus haud permittit, nec præsentis argumenti fert ubertas. Accedit, quod ex illis sat perspicuum judicatu fuerit omnibus, quæ juris naturalis applicatio esse debeat, ut ea separantur negocia, quorum originem, aut modum jus positivum, sive Divinum, sive hu-

manum, sibi vindicat, & quomodo hinc à naturalibus, illinc à supernaturalibus & civilibus præceptis, morum ac officiorum pertenda sint discriminata. Nunc inoffenso pede progrediamur ad Jurisprudentiæ naturalis & utilitatem & universalitatem brevibus perlustrandam. Utilitas præcedit, tanquam cognitu facilior, atque artium cultoribus potior observatu, licet enim ex utilitate mensurani non accipiat Jurisprudentia naturalis, nihilominus pro more omnium disciplinarum docet, quid ex usu sit, non particularis tantum unius aut alterius societatis, sed totius generis humani, seu magnæ illius universitatis hominum, quam Hug. Grotius bene explicat in *Prolegom. §. 17.* Unde in omni belli pricisque statu præstabilem ejus valere scientiam idem Grotius præclare ostendit, in *Proleg. §. 1. 2.* Et certum hinc redditur peccare, graviterque decipere studiosam juventutem, quotquot absterrent eam, ab indagatione juris ex primis hisce & nitidissimis fontibus, jubentque legitimam scientiam ex Doctorum commentariis solum depromere. Quid enim hoc aliud est, quam relictio Originali (liceat his artificum uti verbis) ex copia velle saepere, aut spretis aquarum fontibus bibere ex putidis lacunis. Vid. Joh. Tesmar in *Comment. ad H. Grot. pag. 4.* Imo neminem fugit, ex quibus præceptis prima legum Romanarum cunabula, totumque Pandectarum opus fuit compositum. Nam veteres Jcti, et si tantum non ubique admirabilis sui ingenii exempla exhibeant, in conclusionibus juris naturalis felicissime derivatis: ad fontes tamen & principia earum quod attinet, veluti Arethusæ aquæ magnam partem ea videntur delituisse. Quibus inventis atque erutis, nisi nos omnia fallunt, magno cum fructu versari in Jurisprudentia naturali is poterit, qui in conclusionibus dextre deducendis aut nec tendis illas antiquorum Jctotum reliquias, per Digestorum libros undique dispersas adhibita judicii lima collegerit, atque à novaturientium contemtu vindicaverit. Inter ceteros egregium hoc dedit consilium Samuel Rachelius, Philosophus & Jctus, si quis alias, magnificiendus in *Diss. de J. N. & G. I. Thes.*

224. p. 127. Post spectatau^m huc usque jurisprudentiæ naturalis utilitatem cōmodissima se pandit ratio digrediendi ad ejus universalitatem: quippe in perpetuis hæc occupata legibus omnibus gentibus ac civitatibus, ne rectoribus ipsarum exceptis semper & ubique communis est. Et quamvis Joh. Bodinus longe felicior impugnator, quam defensor civilis prudentiæ, apud vulgus Philosophorum, parum mereatur fidei, in ea tamen assertione vix illum deserendum esse censemus, quando in lib. 1. de Republica, c. 8. p. m. 122. ait: Legibus Divinis & naturalibus Principes omnes ac populi æque obligantur, quas si perrumpere aut infirmare tentabunt, Divinæ Majestatis judicia non effugient. Sed veritati tam perspicue „multi multas offundunt nebulas, quibus lumen ei obstruant, aut si fieri possit nobis plane intercipiant. Objiciunt I. Gentes totas communi omnium errore contra naturæ jura peccasse, multorumque exemplorum inductione id posse ex Historiis ostendi, quæ in compendium redacta legere cuivis licet in B. Georgii Calixti Epitom. Theolog. Moralis. p. 49. Nos ea tantum profseremus, quæ ubi levi brachio tractata non exiguae dubitanti fidem facient. Quid namque fuit liberorum proprietatum expostione usitatius olim apud Græcos, Aristoteles L. 7. Polit. c. 16. Philoponus in Lib. contra Procl. de etern. mund. c. 9. hodie apud Ceylani incolas? Robert. Knox in the historical Relation of, the Island of Ceylan pr. 3. cap. VII. p. 94. Quid Laconum & Ægyptiorum furcis, Cretensium mendaciis, Tartarorum latrociniis frequentius? Quis etiam nescit, ex publicis libidinibus puellas sibi dotem quadrivisse, qua futurum bearent maritum, Justinus lib. XVII de Cypris. Ælianu^s lib. 4. c. 1. De Lydis & de Regnicis Tartaricæ Tebeth incolis similia recenset M. Paulus Venetus lib. 2. c. 37. Et quis tandem persequetur horrenda quarundam gentium flagitia. Cum nihil tam turpe sit, quod non legislator aliquis fieri voluerit, ac genti suæ aliquando præceperit. Singula hæc diligenter expendentibus non minimam adferunt dubitationem de universalitate Jurisprudentiæ Naturalis: Resp. Esto talia & longe gravio-

ra delicta integros patrasse populos : haud tamen evertitur Jurisprudentiæ Naturalis universalitas: Siquidem a negatione observatorum principiorum naturalium male procedimus ad negationem scientiæ, de iisdem proditæ. Neque enim ab obligatione legis naturalis peccatum contra eam admissum ullum eximit hominem. Unde in ejusmodi gentibus spectandum erat, non quid factum est, sed quid fieri debuerit. A facto jus distat plurimum. Non igitur ex facto jus, sed ex jure factum examinemus. Deinde non inepte alii distinguunt ad hoc dubium excutendum, inter præcepta Legis naturalis communissima, & ejus conclusiones: illa nec possunt desinere esse vera, nec delentur è mentibus hominum ; hæ mutantur & nonnunquam obliterantur, licet per accidens, ob singularem affectuum vehementiam, pravam inveteratamque consuetudinem, in potestatem suam mores pertrahentem, ut gentes approbent, quod conclusionibus istis justi & æqui effictim repugnat. Hinc iteramus sententiam nostram: Peccata contra Legem naturæ non tollere obligationem. Jus igitur naturale non ex utentium qualitate, sed ex se æstimandum est. *Hug. Grot. de J. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 13.* Denique rata etiam perseverat B. DN. D. Simonis in hac argumento decisio, in *Not. ad Guit. Grot. Encycl. c. 3. §. 7.* dicentis: Ex tot publicis flagitiis non sequitur, Gentes Jus naturæ ignorare absolute, qua gens sunt, dictamine rectæ rationis utens: sed potius, qua incuriosa & minus recte educata, adeoque Diaboli astutiis magis mancipata Gens sunt. Hæc ille. Ex qua limitatione constat, verissime post alios dixisse Sacratissimum Imperatorem Justinianum *Inst. de J. N. G. & C. §. 11.* Quod jura naturæ non solum apud omnes gentes peræque observentur, sed divina providentia constituta semper firma & immutabilia permaneant. Neque porro negotii multum nobis faceſſunt, evicturi (2) jurisprudentiam Naturalem ideo non fore universalem, quod finem suum, nempe pacem universalem inter homines haud consequatur, cum tamen a fine optima in moralibus sit probatio & dijūdicatio *H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 2. Resp. Quo*

CAP. I. DE NATURA

minus hæc spes de pace universalis concepta nos decollat, ea faciunt adminicula, quæ ad illam ab eruditis viris identidem propoununtur. Ex his H. Grot. in *Proleg. de J. B. & P.* §. 24. extollit modo justitiam, dicens: si justi essent homines omnes, fortitudine militari non indigerent; modo Christianismum tanquam summum istius subsidium, commendat in lib. i. c. 2. §. 8. his verbis: certum est, si omnes sint Christiani & Christiane vivant, nulla fore bella. Num vero hinc statim concludendum sit: Ergo nullum inter homines bellum non ex vitio nascitur, aliorum disceptationi permittimus. Conf. B. DN. de Puffendorff. *de J. N. & G. I. 2. cap. 2. §. 9.* Alterum pacis universalis velut instrumentum Franciscus Burgersdickius in *Idea Politica sub fin. Probl. 1.* statuit imperium Oecumenicum, quod sub se complectatur omnia orbis imperia, & cum ab eo fluenter, & cives, & agricolæ, & milites & gubernatores, & opes, & victus, & amictus, & arma & omnia tam ad pacem, quam bellum necessaria, & in confesso apud omnes bonos Oeconomos sit: Pacem bello meliorem: omnesque homines natura appetere id, quod est melius, & fugere deterius: hinc consequi imperium oecumenicum posse (si velit ut debet) pacem Politicam e vestigio procurare ac æternam, sinceram, stabilemque in secula tum inire, tum conservare. Hactenus Burgersdickius. Sed alii recte verentur, ut tale imperium de præsenti rerum statu sit expectandum, in quo homines locorum distantia & ingeniorum varietas ab ejus nexibus facile solveret. Quemadmodum navis aliqua ad eam magnitudinem pervenire potest, quæ regi amplius nequeat, ita hoc imperio oecumenico, universum hominum genus complexo, certissime accidet, si unquam extitulum esset. Vid. Hug. Grot. *de J. B. & P. I. 2. c. 22. & 13.* Idem in *Apologet. c. 5.* D. Hermann Conring, *de Dominio eminenti tib. 30. & Tr. de pace perpetua inter imperii ord. sect. 2. Conclus. 17.* DN. D. Hertius in *Element. Prud. Civ. pr. 2. Sect. 3. tb. 40.* Terrium aliquoties dictæ pacis universalis remedium DN. D. Samuel Rachelius *de J. N. & Diff. ult. tb. 119.* querit in Collegio aliquo Fecialium, communis gentium conventione instituto, in quo

controversiæ inter gentes ortæ primo omnium cognoscantur, disceptentur, & judicentur. At ita bellum non totum abrogatur, sed tantum ejus frequentia. Quod si enim gentes causa cadentes, forte judicatum facere nolint, aliisque modis Collegii hujus autoritati & decretis contumaciam suam obſciant, etiamnum bello ipsa exsequendi necessitas viam aperit. Zucheus *de Jure & Judicio ſociali inter gentes pr. 2. ſect. I. pag. III.* Quod ſupererit, has ideas bonarum mentium admiramur, & ceu foetus meliorum temporum exoptamus. Nos interim judicamus, vitam in tanta morum honestorum egestate ira a quolibet instituendam eſſe, ut alio juris gentium & civilis imperio non ſit opus: vivendum pacifice, ne opus ſit bello: ſuum cuique ultro tribuendum, ne prætoriis coactionum remediis indigeamus: Fateamur veritatem, honeſte & amice converſemur & nullis opus erit litibus.

CAP. II.

De Variis Juris Naturalis Hypothesibus.

§.I. Fons errorum juxta ſententiā DN. D. Hoffmanni. Application ad praesens negotium. De Hypothesib⁹ in genere, quarum (1.) descriptio. (2.) Conditiones adferuntur. Hypotheses J. N. Fundamentales diſtingvuntur à primo principio Practico. Q. Ultrum hoc etiam precepta privatorum comprehendant? Occaſione bujus differitur de patribus familiarum ſegregum, prout illorum precepta debuerunt vim babere Legum. Principium hoc: Deo parentum tanquam minus adequatum, caue adhibendum

eft in Jurisprudent. Naturali. **§.II.** Hypothesis de L. Dei eterna ex Thoma aliisque Moraliftis expōnitur. Consensus quorundam Theolog. Evangel. bac in parte ostenditur, in primis recentiorum. Ejus refutatio fuscipitur. Octaſo erroris e Ciceronis & Auguſtini orta teſtimoniis. Autorem Legis eſſe imperantem, docetur, atque hac ratione Lex Dei eterna deſtruitur. DN. D. Thomasi & DN. Kefneri deſcio laudatur. Cantic H. Grotii. Ubi nulla dependentia, ibi nulla obligatio, Borgesius. Ex ſententia Protestantium Theologorum Lex

CAP. II. DE VARIIS

Lex Dei eterna est Lex impropter dicta. Rationes duæ ex Meisnero adducuntur. Impugnatores Legis eterne a suspicio-ne Atheismi vindicantur, ejus vero propugnatores gentilismi accusantur. Hunc in finem Seneca est allegatus.

§. III. Hypothesis de sanctitate Dei atque justitia adseritur. Autores inferuntur. Refutatio illorum. Extra hominem non querendum est juris natura fundatum. Confusio Theologia notatur cum jurisprudentia naturali. Hypothesos & insuffici-entia & inevidentia indicatur. DN. Jegeri solvitur objectio. Voluntas Dei non abstrahenda est a sanctitate & Justitia. DN. Mulleri deductio ad absurdum excutitur. Inevidentia Hypothesos ulterius deducitur. Sanctitas enim & Justitia Dei ex lumine rationis tantum confusa cognosci potest de via negationis, perfectionis & causalitatis remissive. Q. Quomodo virtutes ac perfectiones Deo tribuantur? Dissidentium argumen-ta I. Ab exercitio juris in res creatas, a Numinе suscepto. Resp. Ajure Dei ad jus hominum non

valet consequentia. Fundamen-tum juris Dei vel in beneficio, vel in maleficio hominis queritur. Q. Num Deus hominem sine culpa in nihilum redigere possit? II. a Dei imitatione, in sanctitate & justitia ejus observanda, Resp. Gradus imitationis non potest si-mul norma Legis esse. Q. Utrum sanctitas ad statum presentem pertineat? Theologis relin-quatur.

§. IV. Alberti Hypothesis de im-age Dei exhibetur. DN. Pascbii benignum de ea. Judicium Bur-manni consensus. Rationibus his rejicitur I. quia ignota lumine natura. Puffendorffii Testimoni-um. Notitia, que de statu integritatis Ethnicis affuit, non ex ratione, sed traditione fuit. II. quia minus sufficit probandis hominum ac civium officiis. Dis-sti ict. affertur inter summa L. N. apita & inter praecepta ejus particula-ria. H. Grot. defendit. Q. An nulla LL. naturales in statu integritatis vigerint? Neg. contra Guil. Dan der Wille- len. Object. ejus solvitur. D. Mu-saei refutatio allegatur. Q. Num pbilosophia sit restauratio ima-ginia divina? Resp. Per distinet-

inter objecta Divina & Hu-
mana, it. naturalia & super-
naturalia & inter civilia ac
spiritualia.

§. V. Hypothesis DN. Nitschii ostendit
ur de cultu divino. Consensus Zentgravi. DN. Hedingeri tria principia J. N. enarrantur. Cui praevisse Hopperum,
& Hug. de Roy simul indicatur. Judicium de hac hypo-
thesi. Officia, non principia J.
N. monstrat. De necessitate Reli-
gionis. in societate humana
differitur, reliqua enim officia
ex Naturae similitudine fluere mo-
nemus. Testimonium Opalens-
ckii traditur. Hac occasione de
tribus Juris preceptis Justini-
aneis agitur. Sententia DN. J.
S. Strykii assumitur, quod ex
jure praexistenti orientur. Primum de vita honesta expli-
catur juxta mentem D. Amesii,
& Cumberlandi. Neque tertium
admittitur de suo cuique
tribuendo contra D. Strime-
sium.

§. VI. Seldeni traditur hypothesis
jus naturae secundum prece-
pta Noachi declarantis. Origo
illarum dubia. Frischmuthii
judicium. Flavii Josephi silen-

tium de illis observatur. Hu-
jus Hypotheses indicatur in-
sufficientia. Alia producitur
hypothesis de communitate a-
ctuum humanae cum acti-
onibus brutorum. Autores ad
legantur, qui jus bestiale statu-
unt. D. Mevii adoptatur re-
futatio. Consensus in eo Suarezii.
Abstinencia tamen bru-
torum, a quibusdam actibus
debortari debet homines. Tres
causa designantur, propter
quas jus commune homini cum
brutis tributum. Nova Hypo-
thesis profertur de Utilitate.
Hujus Patroni fuere Carneades
& Epicurus: Illum La-
Etantius & Grot. refutarunt;
Hunc Cicero. Sed iterum a
Gassendo defensus. Puffendorf-
fi & Illustr. DN. Coccej de hac
judicium remissive. DN. Tho-
masii distinctio inter utilita-
tem propriam & communem
totius generis humani ad con-
troversia decisionem adbibe-
tur. Subordinatio utilitatum
commendatur. Latrones hanc
violare ex Grotio probatur.
DN. Mauritiu dubium solvitur:
Omne naturaliter justum est
utile, non tamen contra.

CAP. II. DE VARIIS

§. VII. Hypothesis Rachelii narratur de providentia Dei. Non tamen admittitur, tum quia posterior re probata, tum quia minus ad aquata. Per singulos providentie Divine actus ostenditur, nullum horum appearire J. N. fontem. Progressus ad Velthusii opinionem, ex fine mundi ejusque ordine jus naturae eruentis instituitur, atque hec iterum refellitur, tum ex capite obscuritatis, tum etiam insufficientia. Q. Num mundi creatio cognosci possit ex Lumine Nature? Resp. Non apodictice, sed probabilier. Fines rerum creatarum communes; non tamen cuiusque rei proprios eodem modo investigamus. De insufficientia differunt partim e confusione ordinis nature atque humani, partim ex multorum actuum indifferantium inclusione orta. D.N. Thomasius laudatur.

§. VIII. Hobbesii designatur Hypothesis, partim de conservazione sui, partim de statu belli concepta. Dubium de pace excutitur. Non enim communem intelligit Hobbesius, sed tantum particularem. Re-

futatio, quia prior brutorum regit instinctus; posterior ex humano genere facit funus. Bellum Naturale adversatur cognitioni naturali. Seneca mitior assumitur sententia. Hobbesii Refutatores enumerantur. B. Puffend. vindicatur contra Strimesium, quasi cum illo statum quoque naturalem bellicosum defendet. Lex Nat. magis corruptum quam integrum statum supponere demonstratur, atque etiam ex Decalogo illustratur.

§. IX. Hypothesis de intrinseca aetuum humanae moralitate adfertur. Auctores illius enumerantur. H. Grotii consensus. Actus humani nequeunt ex sua parte natura morales esse. I. ob indifferentiam suam. II. ob periculum circuli sophistici. Deum juri naturae non subesse contra Mavium assertur. Petri Poireti judicium probatur. Regula vero Moralistarum rejicitur.

§. X. Recepta denique Hypothesis de societate exhibetur, una cum ejus impugnatoribus paulo recentioribus. Definitio socialitatis prolixior & brevior

admentem D.N. D. Thomasi subjicitur. Defensores hujus hypothesisos Puffendorffius & D. Hertius, aliive adducuntur. Vera illius conditiones secundum Cuiusdam applicantur. Confusio inter societatem humanae & socialitatem. It. inter ius naturae & jus morale perstringitur. Viri cujusdam Illustris Objectiones solvuntur. Nam. I. a renunciatione custodie societatis. Resp. Illa fieri nequit ob connexionem istius custodie cum natura humana. Exemplum Eremitarum nihil probat. Nemo enim & horum sibi sufficit. E. Verulamio indicantur solitaria vita incommoda. Quinimo & Viri Illustris sententia in periculum conjicitur per atheistorum exempla, quos dari experientia docemur. II. Ab exemptione quorundam delictorum, posita societatis custodia. Resp. Non socialitas, sed societas potest mater esse scelerum. Siquidem

illa Deum habet autorem: quem neque Grotius, neque Puffendorffius a jure nature excluserunt. Latronum caetus vix nomen societatis merentur. H. Grotius contra Viri Illustris reprobationem defenditur. Seneca testimonium. III. Ab exclusione quorundam officiorum erga Deum, semet ipsum, & bruta. Resp. Singula si non directe, indirecte tamen & sat evidenter probantur ex socialitate. Religio enim societatum est vinculum: Neque in solitudine homo sociabilis esse desinit. Bruta sunt societatis humanae instrumenta. Elegansissimum DN. Borgesii testimonium. IV. a vita Adami argumentum petit D. Mauritius. Resp. absentia actualis societatis non tollit socialitatem. Cujus intuitu officia etiam prestitisse Adamum demonstratur. De reliquis argumentis remissive.

§. I.

Fontem errorum esse innumerabilem, quod homo limites intellectus sui nesciat, sed ultra ipsos promovere scientiam velit, Vir Excellentissimus D.N. D. Fridericus Hoffmannus, Medicus & Philosophus de Universa Republica literaria &

in primis de Academia nostra meritissimus ac indies de bono publico insigniter merens, egregie nos instruxit, ac fideliter commo-
nuit *in Theibus Selectioribus Tb. 33.* Atque hanc longe verissimam ef-
fe assertionem, ipso comprobata eventu, omnes experiuntur,
qui fata Jurisprudentiae naturalis modo lugent, modo confusos e-
jus limites cum cura separant. Quod enim cuilibet male sana
sua dictitat opinio, pro jure naturali crepat, aliisque obtrudere
studio laborat omni ac industria. Ita pro libidine sua depugnant
nonnulli juris naturalis interpretes, tanquam pro recta rationis
dictamine, quibus perinde licet, quod libet. Cum igitur intu-
ta admodum haec via sit, lubrica & periculis quam plenissima: non
prudentis rationis foetum enitemur, si in veritatis lance, varias, qui-
bus ipsis in jure naturali investigando se summopere oblectant,
hypotheses in praesentia dependentes, turbatos Jurisprudentiae na-
turalis fines restituamus. Ut ex animi sententia nostrum succedat
propositum, ante omnia declaranda nobis est natura hypotheseos:
hac notatur certa propositio, sub qua omnia ac sola præcepta &
interdicta Juris naturalis, velut sub communi quodam axiomate pro-
bationis gratia comprehenduntur. Cujus iterum tres conditiones
probe sunt observandæ ac inspiciendæ (1) veritas, i.e. ut cum re ipsa
conveniat, mentem convincat, nec falsam propositionem aliquam
contineat, (2) sufficientia, ut ex ea omnia & sola juris naturalis officia
probari, delictorum vero contra illud commissorum fœditas de-
monstrari possit. (3.) Evidentia, quæ voluntatem Dei, sive præcipi-
entem sive prohibentem tam clare ostendat, atq; perspicue, ut ab-
strahentibus a supernaturali revelatione satis constare possit, quid
eis secundum jus naturale faciendum, quidq; omittendum sit, pro-
pter manifestissimam ipsius hypotheseos cum propositione illata
connexionem. His autem conditionibus recte perpensis, cuivis
liquet, cum hypothesi juris naturalis fundamentali non confun-
dendum esse primum, quod appellant, Principium practicum:
Imperanti parendum, quia omnia jura tam naturalia, quam posi-
tiva ex eo declarantur, probantur ac defenduntur, ne præceptis

JURIS NATURALIS HYPOTHESESIBUS

57

patriis, dominicis, aut si quæ sunt similia, exclusis: quanquam à potestate legislatoria non veniant: ei tamen subjici possunt. H. Grot.
de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 14. Alioquin Patres familiarum, qui segregem agentes vitam, cum in civitatem nondum coivissent, sicut Regumi instar familiæ suæ eos imperasse, ita ferre Legem potuisse ex Aristot. *l. 1. Polit. c. 2.* etiam cognoscimus, ne id ex sacræ historiæ monumentis repetere sit necessarium. Conf. DN. D. Hermann Conringius in *lib. 1. de Civili Prudentia c. 6. p. 83.* Quod autem ad istud principium attinet: Deo pare; cum omnibus quidem ingenuis J. N. cultoribus ingenue fatendum, idem pertinere ad Jurisprudentiam naturalem, quippe Jus naturæ non potest intelligi sine Deo, & qui naturam cognoscit, non potest non opificem ejus Deum, cognoscere; Non tamen id adæquatum esse, quia perinde jurisprudentiaz Divinæ revelatæ in exponendis & applicandis Legibus positivis quam maxime inservit. Ne diu nimis in lamine subsistamus hujus capitis, lectorem nostrum remittere in posterum jubemur ad Celeber. DN. D. Thomasium in *Instit. Jur. Div. l. 1. c. 3. §. 34. seqq. & c. 4. §. 2. seqq.* qui in juris hujus explanatione atque solerter instituta ab aliis juribus distinctione operam accuratissimam præsttit & longe felicissimam.

S. II. Expositis, quantum instituti nostri poscebat ratio, hypothesum conditionibus, proximum erit, secundum has selectum inire, atque de singulis pro ingenii nostri viribus judicium ferre, an recipienda, an potius rejicienda sint. Faciemus autem a Moralistarum hypothesi initium, quod nomen scriptoribus Pontificiis in hoc genere non prorsus inutilem præstantibus operam, casuum frequentia excitatis, cum aliis potissimum tribuimus. Ex illis integra legio educi posset, masculæ propugnatura Legem naturæ esse expressionem, participationem & manifestationem Legis æternæ, adeoque fundamenti loco hanc sit collocatura, nisi vereamur, ne jactantiaz labem temere nobis aspergamus. Fidem insuper assertionis nostræ facturis, celebriores tantum proferre, nemo saniorum Philosophorum nobis prohibuerit,

sanniones enim Moralistas non allegatione, sed contemptu dignos arbitrantes vix attendimus. Sic vero Thomas de Aquino, Moralistarum facile Princeps in 1.2. qu. 93. art. 1. Lex æterna est ratio divinæ sapientiæ, secundum quam dirigit omnium creaturam motus & actiones in fines suos. Clarius mentem Doctoris Seraphici exprimit Gregorius de Valentia *Tom. 2. Disp. 7. qu. 4.* in definitione legis naturalis: 'Lex naturalis est naturale rationis nostræ judicium, seu dictamen, quo per lumen nobis AB ÆTERNA LBGE impressum & inditum evidenter cognoscimus, ea esse facienda, quæ ita sunt recta, & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deformis, & naturæ repugnans, & contra ea esse vitanda, quæ facere turpe sit, & naturæ rationali minime congruum. Cum his reliqui omnes nunc consentiunt, ut evolventibus illorum scripta, in quibus laudabile præbent modestiæ exemplum, rationibus inter se certantes, non, qui nuper adeo literas inquinare cœpit, conviciis turpi foetu impotentis animi, H. Grotius in *Proleg. de J. B. & P. §. 53.* satis patebit. Quare laudamus hac in re Martinum Beccanum *Pr. 1. Theol. Scholast. Tr. 3. c. 7.* Angelum de Clavasio in *Summa C. C. sub voc. Lex. p. 309.* Joh. de la Crux in *Directorio Conscient. pr. 1. art. 1. § 1. p. 2.* Didacum Ruitz de Montoya. *Disp. LVIII. sect. 6.* Joh. Albertinum *Tom. 1. Theol. Scholast. qu. 18.* Ludovicum Gamimachætum in *Tr. 3. in 1. 2.* Joh. Henricum a Gandavo in *Quodlibet 2. qu. 12.* Franciscum Svarezium in *Opusc. de Justitia sect. 4.* Martinum E-sparzam de Artieda in *lib. 3. de Actionibus Moralibus qu. 19.* Joh. de Rada in *lib. 2. controv. inter Thomam & Scotum 20. p. 502.* Imo inter Evangelicos Theologos non desunt strenui hujus opinionis propugnatores, quorum tamen dare catalogum nec libet, nec licet. Tantum e recentioribus quoruñdam mentionem injicere, novitatis cupidi nos impellunt, quibus ante oculos locamus D. Velthemium in *Introduct. ad H. Grot. lib. 1. c. 1. § 5. seqq.* DN. D. Jægerum in *Tr. de Lege Æterna quest. 1. seqq.* D. Joachim Zentgrav. in *Summa J. Divin. sect. 1. §. 15. p. 28. & 29.* Adrianum Heerbordum in *Disputationibus ex Philosophia selectis. Disp. 40. de L. eterna §. 2. p. 152. & 153.* ubi ita disse-

differit: Ut in Deo est ratio rerum creandarum, quæ dicitur idea, sic etiam est in ipso ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur Lex æterna: Verum hæc hypothesis, quantamcunque veritatis & devotionis speciem præ se ferat, ac multitudinis habeat præsidium nondum solide probata, sed nimis audacter efficta est à Moralistis, aliisque Ddbus, quos vel Ciceronis gratia oris, vel summa augustinissimi Patrum Augustini decepit autoritas. Cicero quidem in lib. 2. de Legibus ait: hanc video sapientissimorum fuisse sententiam: Legem neque hominum ingenii excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, SED ÆTERNUM QUIDDAM, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Et paulo post addit: Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta Lex de stupris, idcirco non CONTRA ILLAM LEGEM SEMPERIERNAM Sextus Tarquinius vim Lucretiæ intulit. Augustinus autem in lib. 22. contra Faust. Manicheum. c. 27. definit peccatum per id, quod est contra legem æternam. Eandem quoque in lib. 5. de Civitate Dei. cap. 9. 10. & 11. & in lib. 6. cap. 21. non obscure exhibuit. Sed enim hanc sive Pagani Oratoris in rebus divinis cæci, sive Patris ab erroris periculo non exempti, sive Moralistarum, ut multa laudanda, ita quamplurima condonanda propónentium, sententiam tutius eliminamus, quam amplectimur. Siquidem Legis cuiuscunque auctor semper imperans esse debet, quod Legum omnium inductio satis superque evincit. Deo autem nihil par habetur, nedum superius imperio occurrat, a quo legem acciperet, independentia sua quam tutissimus. Quamobrem deficiente Legislatore, per se evanescit Lex æterna. Conf. Celeberr. DN.D. Thomasius in Jurisprudentia Div. lib. 1. c. 1. & cap. II. §. 74. not. b) cap. III. §. 5. & cap. IV. §. 8. not. a) §. 21. & 22. Quam optime huic adstipulatur DN. D. Henricus Erneftus Kestnerus, ingens Rintelenensis Academiæ ornamentum in Dissert. de Statu jurisprudentia, necessariaque juris naturalis & civilis connexione §. IV. p. 7. Frustra, inquit, hic ad æternam aliquam legem configitur, ita enim aliquid esse ante vel supra Deum fingeremus, quod absurdum, nec refutatione di-

gnum arbitramur. Dubio procul Hug. Grotium jam olim hæc movit absurditas, ut a partibus Moralistarum, quorum magnus fuit admirator, plane deficeret, *in lib. 2. de J. B. & P. c. 11. §. 4. n. 1.* ubi præclare dicit: Deum nulla constituta lege obstringi posse. Nam obligatio Legis, qua Deo nos paremus, ex ejus divina omnisufficientia & upereminentia oritur, ac nostra dependentia confirmatur, ut sine exceptione præstemus aut omittamus, quod ipse injungit. DN. Goedhardus Borgesius. *in Enodatione Juris N. c. 1. §. 9.* Sed contra Moralistas hæc dicta sufficient; Legem Dei æternam pro Lege Dei propriæ dicta habentes. DN. D. Osiander *in Typo L. N. Th. 21.* Interim malæ etiam causæ præbent indicium Protestantes Theologi, quando ipsi in Legi æterna defendenda fateri solent, illam esse improprie Legem, Balthas. Meisnerus *in Tr. de LL. p. 25.* DN. D. Velthemiūs *in Introd. ad H. Grot. c. 1. §. 22. p. 54. & ss.* D. Zentgravius *de O. L. N. art. 4. §. 12. p. 103.* D. Hildebrandus *de Legi Dei æterna. §. 39.* Sic enim nebulæ falsi dissipantur a luce veritatis, ut pariter hostibus ejus illucescat, qui rationibus hisce convincentur (1) quia hæc Lex æterna eadem esse deber cum Legislatore suo: cum nihil in Deo sit, nisi ipse Deus; Ita Deus mentiri nequit non ob Legem a superiore latam, sed quia cum ipsius essentia, quæ veritas est, mendacium pugnat, quoniam trad illud configere nota infirmitatis est, tam omnipotentii Numine prorsus indignæ, H. G. 1.3. *de J. B. & P. c. n. §. 15.* (2) quia destituetur obligatione. Quod si enim Deum obligaret, ipse desineret ens esse liberum, proat qualibet obligatio privationem secundum trahit pristinæ libertatis. Tanta parit incommoda hypothesis de Legi Dei æterna male electa, & pejus defensa. Quibus diligenter expensis, impugnatores legis æternae ab acerbissima Atheismi suspicione liberantur, temere prodita in DN. M. Georgii Lani *Dissert. Polit. de sex speciebus juris. §. 4.* Ita enim omnis imperfectio a Deo removetur, & summa ipsius libertas piè assurritur. Cum e contrario Legem Dei æternam tanto tuiti fervore, perspicue demonstrent, quam minoris faciant Dei majestatem, atque dogmate suo sen-

JURIS NATURALIS HYPOTHESESIBUS.

61

sensim Gentilismum reducant, cuius rei testimonium e Senecæ lib. de Providentia c. 5. p. 100. petere licet, dicentis: Scio omnia certa, & in æternum dicta lege decurrere. Et paulo post: Ille ipse omnium conditor ac Rector scripsit quidem fata, sed sequitur: SEMPER PARET, semel jus sit.

6. III. Inquirendum ulterius est, an radix & fons juris naturalis sit Dei sanctitas atque justitia, ut quicquid cum illa conveniat, id jure naturali præcipiatur: quicquid eidem disconveniat, hoc jure naturali prohibeat? Verum ne cum turba Moralistarum nobis res sit, huic sententiæ dabimus advocatos, Philippum Melanchtonem, communem quondam Germaniæ Præceptorem in Epitome Philos. Moral. p. 99. & 100. docentem legem naturæ radium esse sapientiæ & justitiæ divinæ. DN. D. Jægerum Theologum & Philosophum Tubingensem in Tr. de Lege Natura qu. 6. n. 9. p. 131. ubi inquit: Juris naturæ fundamentum est ipsa sanctitas & justitia Dei. Gemina apud DN. D. Zentgravium deprehendimus, pertinacem hujus opinionis defensorem in Tr. de O. J. N. art. 4. §. 2. seqq. p. 88. & 89. & in Summa J. D. art. 1. sect. 1. §. 13. 14. & 15. p. 25. seqq. At non opus habemus, ut cum illis extra hominem progrediamur, quia id, quod querimus, in ipso acquiremus. Deinde harum perfectiōnum divinarum plenior explicatio spectat ad Theolog. revelatam, nec sine summa finium confusione Jurisprudentiæ naturali inseparatur. Denique in ipsa hypothesi & sufficientia & evidentiā desiderantur. Evidēt sufficiētia; quoniam talis convenientia cum sanctitate & justitia Dei fundamentum quoque præstat legibus divinis moralibus stricte dictis & positivis; at nos illud poscimus, e quo præcepta & interdicta juris naturalis adæquate eruantur. Neque juvat DN. D. Jægerum l. c. p. 132: hic excepisse Divinam sanctitatem non formaliter esse voluntatem divinam, sed aliquod attributum illam antecedens adeoque etiam superesse discriminem inter Legem Divinam naturalem & positivam: Sed hoc pacto non uno eodem que gradu erit sanctitas in Legibus Dei, quas positivas appellamus, prout est in iis, quas naturales vocamus. Neque abstrac-

ctionem perfectionum divinarum admittere hic possumus, quæ in signo rationis sanctitas concipitur Dei voluntate prior esse. Aut enim ejusmodi conceptus fundamentum in re habet, aut eo caret: Si illud, in Deo prius & posterius erit, quod æternam ejus tollit essentiam; sin hoc, jus naturale pro fundamento agnoscit nentis nostræ commentum. Merito igitur, tanquam inepta, attributorum divinorum abstractio rejicitur a Celeberr. DN. D. Thomasio nostro *in Inst. Jur. Div. lib. I. c. 2. §. 74. seqq.* & *cap. 4. §. 24.* Ex hac enim omnino accidit, ut libertatem voluntatis divinæ parum convenienter reliquis Dei attributis exponentes, ita concluderent: Si ex voluntate Dei præcipientis, aut prohibentis bona vel mala essent opera, sequeretur, ejusdem voluntate eadem quæ nunc bona mala & peccata esse, quæve jam mala, eadem bona & honesta esse posse. Vid. Franciscus a Victoria *in Relection. de Homicid. n. 3. 4 seqq.* & DN. D. Joh. Jacob. Müller *in Institut. Moral. pr. I. c. II. §. 10. p. 103.* Quippe supponunt Deum male dispensare de libertate sua posse, saltem in signo rationis; cum tamen optimum Numen quando liber vult, sancte agit: Neque potest sancte agere, nisi ex libera voluntate. Sed in viam redcamus. Evidentia quoque in modo dicta deficit hypothesi, quia lumine rationis non distincte, sed confuse tantum sanctitatem & justitiam Dei cognoscimus, & sine S. Scripturæ auxiliis in dextra ejus applicatione, & ex ea paganis etiam necessaria officiorum & vitiorum demonstratione plane caligamus, non diffidente id nobis DN. D. Jægero, qui insuper habita finium separatione *L. p. 132.* argumentis aliis indigus ad S. Scripturæ dicta quam sèpissime se convertit. Silemus viarum negotiis, perfectionis, & causalitatis salebras, quod sciamus a nemine clarius monstratas præterquam a Celeb. DN. D. Thomasio *in Inst. Jur. Div. lib. I. c. 3. §. 54. seqq. p. 109.* quibus Scholastici Doctores sere immoriuntur, minus ponderantes secundum *av. Ge. ποταθεων* virtutes ac perfectiones in hominibus deprehensas deinceps Deo tribui. De figura illa in rem nostram apposite scripsit Hug. Grot. *u. 2. de J. B. & P. c. 13. §. 3.* Sancti scriptores de Deo sèpe loquun-

ter & q[uo]d & magis secundum id, quod videtur nobis, quam quod est. Ab hac interim persuasione argumenta dissentientium nos minime deterrent, quorum, (1) Si Deus jus in res creatas exercet secundum justitiam & sanctitatem suam: Ergo utraque harum norma erit Legis naturalis. Resp. A jure Dei ad jus hominum naturale male infertur argumentum, quoniam illud est eminentissimum, hoc vero certis limitibus ac finibus circumscriptum, quos transilire piaculum. Conf. DN. de Puffend. in l. 2. de f. N. & G. c. 3. § 5. Tantum enim jus est Dei in hominem, ut creaturam suam, secundum quod illi id ipsum esse, quod dedit, auferre potest, eumque in nihilum redigere vita necisque Dominus. Quandoquidem jus istud Dei inititur vel ipsius beneficio, vel hominis in Deum maleficio. Henricus Kipping in *Diatriba posth. de jure Dei in homines*. § 8. p. 297. Unde licet sine culpa hominem nunquam puniat & affligat, at tamen non sine causa, aut culpæ expertem, destruere potest. Quominus autem hoc a Dei omnipotentia vereri quis habeat, summa illius impedit benignitas, qua instigante creator semper est creaturæ suæ curator, teste Imperatore Justiniano in *Nov. 39. pr.* (2) Si ipse Deus sanctus vult esse homines sanctos atque justos, Ergo ejusmodi perfectiones erunt norma Legis naturalis. Resp. Gradus imitationis non æque norma L. N. esse poterit, utpote ad quam plena, ad illum vero qualiscunque rei imitandæ requiritur cognitio. Interim DN. Beccmanni opinionem statuentis in *conspect. Mor. c. XIII. p. 130.* sanctitatem esse qualitatem hominum, quæ proprie ad alteram vitam pertineat, Venerandis Theologis excutiendam omnino relinquimus.

§. IV. Cum nihil magis justitiam & sanctitatem Dei exprimat, quam imago concreata, ordinem nostrum vix rumpemus, nunc perrecturi ad examinandam illam hypothesin, quam B. D. Valentinus Alberti, Interpres Philosophiæ Christianæ quam studiosissimus proposuit in *Pr. 1. Comp. f. N. Orth. Théolog. conformat. cap. 1.* ut in deducendis conclusionibus Juris Naturalis, revocaret omnia hominis & civis officia ad statum integritatis, laudem propterea meritus a Georgio Paschio in Acad. Kilonensi Moral.

Phi-

Philosophia Professore in Schediasmate suo inventorum Novantiqu. cap. 4. §. 11. quod ex puris minimeque infectis verbi divini sonibus juris naturalis hauserit notitiam. Eadem sententiam Burmannus, Theologus Batavus, defendit in *Apologia sua pro vindicis disquisitionis hebdomadalibus conscripta cap. I.* Morale, ait, proprie est, quod fluit ex imagine Dei, sive ante lapsum homini concreata, sive post eum ex gratia restaurata. Verum enim vero lusci & lippientes non levem finium confusionem exinde conspiciunt, qua liberaliter permissa, præter spem accidet, ut Jurisprudentia naturalis per nescio quam Metamorphosin convertatur in Theologiam revelatam. Nobis igitur in regendis Jurisprudentiæ naturalis finibus etiamnum operam navantibus, hæc procul pellenda & studio omni impedienda est. Videlicet status integratatis ideo pro fundamento juris naturalis haberi nequit, (1) quia solo lumine naturæ instructis plane est ignotus. Atque hæc ipsa ratio a DN. de Puffendorff. redditur in *Apolog. p. 53.* his verbis: Quare a statu integratatis abstraxerim & consideraverim hominem, ut nunc est, non attendendo, an primitus aliter se habuerit, rationem attuli satis gravem; quia propositum mihi fuit hanc disciplinam ita generaliter tradere, ut & eadem ad captum Ethnicorum foret. Qui utique statum integratatis ignorant, quem ex solis divinis literis licet addiscere. Hæc Puffendorffius. Fac etiam statum tum integratatis, tum corruptionis, cum reliquiis suis Ethnicis quibusdam innotuisse, non tamen talis notitia eis per lumen naturæ affulsit, sed quod verosimilius putatur, per conversationem cum Judæis & haustam ab his traditionem obtigit, quod argumentis satis validis evincit Edvvardus Stillingfleet in *Origin. Sacr. l. 2. c. 6. §. 7.* (2) quia singulis officiis homini ac civi incumbentibus, non sufficit: Quando quidem illa præsupponit vel institutum, quod an in felicissimam hominum conditionem cadat, non constat, uti de Rebus publicis in *Inst. Jur. Div. lib. I. c. 2. §. 27. seqq.* ostendit. Vel quia sine miseria & morte, quæ ab illo statu exulabant, non intelliguntur, ita officia tutorum ob immaturam Parentum mortem & propter lubricum

ætatis in pupillis deprehensum introducta dicuntur. *Guil. Grotius in Enchirid. J. N. c. 10. §. 11.* Ex his manifestum evadit, summa quidem legis naturalis capita in utroque statu, sive integratatis, sive corruptionis esse eadem, sed multa præcepta particularia propter diversitatem conditionis humanæ variare. Cum enim vixissent in mutuo amore & ingenua innocentia, ipsis nunquam opus fuisset defensoribus: quia non erant offendentes; non opus fuisset Legibus civilibus, prætoriis remediis & similibus, quia non fuissent, qui injuriam facere vellent, amore hanc prohibente, omnesque homines inter se conciliante. Respxisse huc nobis videtur *H. Grot. in L. 2. de J. B. & P. c. 2. §. 2.* tribuendo Protoplasis ignorationem vitiorum; hæc tamen non de ea quæ juris, sed quæ factorum capienda erit, quia homines integri ut summa pollebant prudentia; ita & facultate intelligendi Legis actiones sive præceptas, sive prohibitas eos pariter instructos fuisse credimus. Ceterum nullas Leges naturales in statu integratatis viguisse, quod *Guil. von der Miselen in Differt. de Orig. J. N. §. 14. p. 16.* statuere voluit, hac perductus ratione, quia homines ex puro naturæ impulsu fecissent bonum & fugiissent malum, assensu nostrø haud recipitur. Nam iste impulsus in creatura rationali erat ipsa Lex naturalis. Ultronea certe obedientia non sustulisset, sed firmasset legem. Et si prædictus impulsus separetur a jure naturali, hujus deum se prodit necessitas, quia actus est facultatis liberæ ac finitæ. Quemadmodum hæc liberrate sua abuti poterat, ita indiguit Lege, ut de illa recte dispensaret. Ubiorem dabit hujus sententiaz refutationem *D. N. D. Simon Henricus Musæus in vindicis. Juris naturalis Paradisiacj*, quas allegato paulo ante Jcto opposuit. Nos finem facturi examinæs, in hac hypothesi ideo brevibus suscepiti, quod a viris æqui ac boni callentissimis, Puffendorfio, Thomasio, Rysselio aliisque dudum in eruditissimis ipsorum libris eandem censuram passa sitaç confutationem, ut nobis tantum spicilegii labor relictus fuerit, in quo hactenus versati tribus annectimus verbis: Philosophiam non posse imaginis divinæ restaurationem nobis promittere, nisi circa objecta

CAP. II. DE VARIIS

objecta humana, nempe naturalia, moralia & civilia, in quibus imago divina magis debilitata quam totaliter amissa: licet etiam hæ reliquæ & propter imperfectionem & propter obscuritatem suam juris naturalis demonstrationibus vix conducant.

§. V. Nunc sententias illorum justo commemorabimus ordine juris naturalis officia substituentium pro ipsis principiis. Inter quos primum tenet locum Celeb. DN. D. Nitschius, JCtus Gifensis *Element. Jurisp. univers. MSC. lib. I. cap. I. §. 6.* (cujus inspiciendi nuper copia per amicum nobis facta est) ratus, culrum divinum fore fundamentum J. N. Neque alienum se præstitit ab hac opinione DN. D. Zentgrav. *in Tr. de Orig. Jur. natur. art. V. §. 9. p. 126. 127. Et art. IX. §. 16. p. 948. seqq.* eumque etiam strenue secutus, DN. D. Hedingerus *in Conf. f. N. qu. 11. §. 13.* cui tamen videtur convenientissimum, hæc tria principia statuere, directo, quicquid juris naturalis est, inferentia, nempe amorem Dei, custodiam sui & socialitatem. Quibuscum bene convenientiunt Joach. Hopperus *de arte Juris. lib. I. p. 21. b.* & Hugo de Roy *de eo, quod justum est Lib. I. tit. 3. §. 5. p. 31.* quorum uterque amorem Dei & hominis in jure naturali investigando tanquam Leges fundamentales urgent atque commendant. Profecto nisi nos omnia fallunt, in singulis pura tantum proponuntur officia, non autem genuina & adæquata demonstrandi juris naturalis principia. Quis enim tam ignarus jurisprudentiæ naturalis erit, qui cultum Dei, a quo creati, & vita do-nati sumus primum esse officium, negare unquam sustineret, nisi atheorum, more Cyclopum cœlum quoque adorientium, castra frequentet. Et sine ullo intelligimus negotio, ubi nulla religio, ibi etiam nullam fidem, nulla pacta, nullas etiam societas ac civitates persistere. Quinimo inter homines sàpius accidunt casus, qui sine religione expediri non possunt. Ita adversus hostem sapiens nostris longe potentiores ac validiores belli alea subeunda est, tunc nulla spes superest in viribus humanis, sed a sola religione, cultuque Dei petendum est auxilium, ac militi persuadendum, non in multitudine exercitus, sed de cœlo victoriam expectandam esse. In reliquis officiis tanto minus dubii occurrit, quod neque-

ant hypotheses juris naturalis esse stabiendi, quanto certius vel ex ipsis naturæ stimulis tanquam principiis suis erumpunt. H. Grot. de J. B. & P. Lib. i. c. 2. §. 1. Qua de causa nec tria juris præcepta ab Imperatore Justiniano §. 3. Inst. de J. & J. promulgata, tanquam principia J. N. admittere possumus, cum fluant ex jure præexistente. Celeberrimus DN. D. Joh. Samuel Strykius in not. ad bunc §. p. 12. In primis vero illud: honeste est vivendum, nunquam omnia officia hominum comprehendere potest, utut sibi hoc persuaserint, Guil. Grot. in Enchir. J. N. t. 9. §. 1. Samuel Rachelius de J. N. & G. Dissert. i. §. 120. p. 233. seqq. Nam præceptum hoc significat, aut virtuose, aut gloriose vivendum esse: Si illud, statim omititur cultus Dei, quem non virtuose, sed religiose colere debemus, prout a Gentilibus quoque virtus a religione distinguitur. D. Guil. Amesius in C. C. I. s. c. 1. §. 19. p. 370. Sin hoc, ut vulgo, honestas capitur pro gloria, non tanti præceptum juris naturæ stricte dicti, quam decori erit, nobiscum facientibus Richardo Cumberlando in Proleg. Leg. Natur. §. 16. & Lamberto Velthusio in Dissert. Epist. de justo ac decoro p. 41. & 89. Similem fere opinionem fovet D. Samuel Strimesius in Orig. Moral. Dissert. 3. §. 11. p. 105. qui tamen magis ultimo nititur præcepto: Suum cuique tribuendum, tametsi hec partim nimia laborat angustia, quia tantum hominis officium exhibet in faciendo, adeoque istud etiam adjungere debuit, alterum ne lade, quod in non faciendo hominem dirigit: partam caret prioritate, uti modo diximus. Supponit enim alteri jus suum convenire: Quo igitur magis confusa & imperfecta admordum hæc fuit hypothesis commemoratio, eo vehementius deterreremur, quo minus alterutram illarum eligeremus.

S. VI. Ingressi semel certamen cum diversis hypothesisum diversarum Patronis ac defensoribus, non possumus extra consilium illos collocare, qui secundum seprēm Noachi præcepta ius naturale sedulo explanant. Sunt ea (1) de Idolatria (2) cultu veri Dei, (3) justitia, (4) homicidio, (5) stupris, (6) rapinis (7) esu viventium. Traduntque Dd. Deum illa primum Adamo, uti H.

Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 13.* ac deinde Noacho observanda commendasse, Gvil. Grotius *in Encyrid. J. N. c. 5. §. 10.* & qui omnia Rabbinorum veterum legit scripta, summoque judicio digestis, de utroque satis testatur J. Seldenus *de J. N. juxta disciplinam Ebraeorum l. 1. c. 10.* Jam dudum vero ab eruditis, inter quos palmam praeferunt B. Joh. Frischmuthius *in Differt. de septem Noachi preceptis*, traditio haec fabulis accensita fuit, tantum abest, ut illorum Praeceptorum vis ac obligatio singulis gentibus perspicue demonstrari potuerit. Neque credimus, Flavium Josephum, per quam diligentem Antiquitatum Judaicarum investigatorem, qui ut plurimum ea, quæ brevibus in Sacra Scriptura indicata latius exponere solitus est, si vere praecpta haec Adamo promulgata, & Noacho post diluvium repetito tradita fuissent, rem tanti momenti alto præterisse silentio. Moralia igitur utique esse, si certo spectentur modo, haud inviti largimur, licet de eo merito dubitemus, utrum sub initio mundi speciali Dei jussu hominibus primis mandata & post Diluvium Noacho e-jusque posteris in memoriam revocata fuerint. Unde hanc questionem subjecientes antiquitatum sacrarum scrutatoribus, nos ad aliam recipimus hypothesin, quando ex actibus, quos homines cum brutis communes habent, aliqui jus naturæ male derivant, quia communitas actuum non parit communitatem juris. Quare jus bestiale, quod Hugo de Roy *in Tr. de eo quod justum est lib. 1. Tit. 2.* D. Bechmann *in Commentario ad ff. Theoretico-Practico Exercit. n. 32. p. 10.* & D. Ledererus *in integra Diff. de jure bestiale magno adstruunt molimine, penitus corruit: quoniam ratio, non instinctus ius facit.* B. D. David Mævius *in Prodr. Jurispr. Gent. Inspect. 2. §. 3. p. 54.* Sola enim mens applicare ad actiones vita potest Legis praecpta. Quibus non adeo dissentanea profert Franc. Svarezius *in Tr. de Legibus l. 1. c. 1. n. 7. p. 10.* Animalia etiam bruta non sunt capacia proprie Legis, cum nec ratione, nec libertate utantur, & ideo non potest, nisi per metaphoram, illis attribui Lex naturalis. Quamvis in hoc differunt ab insensibilibus, quod non solo naturæ pondere, sed etiam instinctu naturali ducantur, qui instinctus est illis

quasi lex, atque reduci debet ad Dei providentiam, summam brutorum moderatricem. Ad hanc igitur aciem flectentes ipsi homines, non leviter dehortantur, ut abstineant iis actibus, a quibus etiam bruta abhorrent per directionem divinam & contra appetant ea, quæ ad sui propagationem, sibiisque educationem etiam animantia rationis expertia, conferunt. Vid. Illustr. DN. de Lyncker in *Disp. de Jure occursus*, cap. 1. §. 3. Quicunque vero jus commune homini cum brutis statuunt, id faciunt his permotis argumentis, vel propter cultum ipsis praestitum ab Idololatriis, vel propter commutationem animalium inter homines & bestias, quæ à Pythagoreis Metempyphosis appellata est, vel propter usum rationis, quem præter veteres Philosophos Plutarcho in lib. 5. de *Placat. Pbilof. c. 20.* aliisque testibus, errorem inveteratum non corixerunt, sed potius disseminarunt multi recentiorum, Bernard. Telesius in lib. 8. de *Rerum natura*, c. 16. Charron de la Sageſſe, *livre premier* c. 34. n. 6. Thomas Campanella de *sens. rer. lib. 2. c. 22.* Et qui omnium memoratu dignissimus hac in re judicatur Hieron. Rorarius in libris duobus, quod animalia bruta ratione melius utantur homine. Verum ne istorum hominum autoritas altiores iusto radices in animis nostris agat, orationis nostræ filum ducimus ad hanc hypothesisin de utilitate conceptam, qua Carneades Jus naturæ acriter impugnavit, narrante Lactantio in lib. V. de *Justit. Div. c. 16.* & H. Grot. in *Prolegom. §. 6.* cuius rationes, si quid valent, omnes debitores stulti essent de credita pecunia usuras solventes fibi æque utiles, juxta ac subditi sine extremæ stultitiae nota non possent principibus tributa pendere. E contrario Epicurus omni conatu eandem adstruit, adversus quem Cicero disputationis jecit aleam in l. 2. de *Offic. c. 3. seq.* Epicuri partes vicissim tuente Petro Gassendo amplissimæ eruditio[n]is Philosopho, in *Philosophia Epicuri Tom. 2. p. 1527.* Quorum loca aggregare & argumenta solvere præter rem fuerit, cum id tam multi fecerint viri judicio longe præstantissimi, ut in immensum excrescere dissertationem nostram necessum fuerit, si vel potiora allegare, animus esset. Et vero occu-

C A P. II. D E V A R I I S

70

pata pridem est ea opera ab Illustr. Viris DN. de Puffend. *in lib. 2.*
de J. N. & G. c. 3. §. 10. seqq. passim monente, neque Hobbesium
 alienum ab hac opinione gerere animum & DN. D. Coccejo in
Disp. P. f. N. II. V. & A. §. 18. seqq. p. 11. quorum sententias licet
 summo veneremur cultu, judicium tamen liberum eo eripi nobis
 haudquaquam patimur, quominus cum Celeb. DN. Thomasio *in*
Inst. I. D. I. c. 2. §. 96. in posterum distinguamus inter utilitatem
 singulorum hominum, & totius generis humani : illa perseverat
 hypothesis prædictorum Philosophorum; nos vero hanc eligimus:
Quemadmodum enim publica utilitas in qualibet civitate habetur
 norma privatæ, ita utilitas totius generis humani præbet normam
 & peculiari sociorum & singulorum hominum utilitati. Quare
 tranquillitatis validissima figit munimenta, qui commoda sua alio-
 rum commodis coöordinat, in primis autem commodo generis hu-
 mani subordinat: ubi enim hujus læsio, ibi juris naturalis violatio.
 Sic in latronibus & privatis hanc deprehendimus, criminis causa
 inter se conjunctis. *Grot. I. 3. c. 3. §. 2. n. 1.* quam in aliis negligunt
 utilitatem, eam alii rursus contra ipsos negligunt. Nam utilitas
 cœtuum singulorum cedat utilitati magnæ hujus universitatis.
Grot. in Proleg. §. 17. Quanquam utilitas videatur DN. D. Mauri-
 tio in *Diss. de Princip. f. P. scđ. 2. §. 22.* constituto jam J. N. accede-
 re (sc. in executione) nihilominus utilitas, si naturæ ductum probe
 ponderamus primum est (puta in intentione) quod homo in con-
 junctione cum aliis victurus querit atque etiam querere debet,
 ne otiosum actum committat, nediumvero talum statum sibi ascen-
 scat. Hinc æquo ferent animo impugnatores hujus hypotheses os
 ut dicamus: Omne naturaliter justum esse utile : quantumvis o-
 mne utile non statim pro naturaliter justo arripiamus.

§. VII. Producamus autem illorum quoque hypotheses,
 ut ut Theologiae quodammodo tangant confinia, certissimam no-
 bis polliciti excusationem, cum inviti ab auctoribus, qui easdem
 anxiò tractant labore huc trahimur. Sic Sam. Rachelius funda-
 mentum Legis naturalis esse providentiam divinam passim ad-
 struit

JURIS NATURALIS HYPOTHESESIBUS.

71

struit in *Dissert. de J. N. & G.* cum primis in *Disp. i. th. 30. 32. seqq. p. 27. 29.* Quæ Viri alias doctissimi sententia ideo nullum meretur applausum, prout hypothesin, neque re probata priorem exhibet, neque ei sufficientem. Refellit prioritatem hæc ratio, quia providentia divina rebus jam creatis providet, & ita actus creatione posterior est. Omnium vero consensu, ne Rachelii quidem excepto *A. c. lex naturalis cum creatione hominis cœpit, neque ullum temporis spatium excogitari potest, in quo homo fuerit creatus, ubi non fuerit concreata lex naturæ.* Sufficientiam huic deficere hypothesis itidem nobis liquet, actus divinæ providentiaz serio perlustrantibus, ut consistunt in scientia dirigente, voluntate imperante, & potentia exequente. At horum actuum nullus fontem aperit *J. N. unicum & adæquatum: De Scientia nemo dubitat: in voluntate autem imperante id propter non acquiescimus: quia simul principium est juris div. positivi, non solius naturalis, teste laudato Rachel. l.c. §. 32. p. 29.* Tandem de potentia exequente iterum certi sumus, hanc non posse fundamenti loco adhiberi in *J. N.* probando, quia pariter effectum pure naturalium causa est. Quibus sat cognitis ad opinionem Lamberti Velthusii oculos nostros convertimus in *dissert. de Principiis just. & decori p. 964.* statuentis, ex fine mundi conditi ejusque ordine *J. N.* præcepta & investiganda & defendenda esse. Verum enim vero eadem ex capite cum obscuritatis, tuin insufficientiaz facile impugnari potest. Evidem obscuritas in eo latet, quoniam homo propriaz naturæ sua claram ac distinctam non habet cognitionem, adeoque in finem, sibi exesse convenientem ægrè penetrat, prout varia Philosophorum de *S. B.* dissidia luculenter id commonstrant, nedum singularum rerum, à mundi opifice sapientissime productarum, ordinem ac scopum certo assequatur. Cum ipsa mundi creatio in tempore facta, hoc rerum ordine & talibus circumstantiis non infallibiliter aut secundum demonstrationem, sed probabiliter duntur taxat ex lumine naturæ cognosci possit. Quare Gentiles sibi relieti, tametsi naturæ ductum secuti, colligere utique valent, mundum cœpisse à DEO, quomodo autem creatus fuerit, num in

CAP. II. DE VARIIS

72
 ip^t tempore, num ab æterno, cum ignarissimis ignorant. Siquidem ipsis sufficit nosse, dari effectum, atque illum referri ad causam. Neque alias necesse est, ut effectus sua causa tempore posterior sit; potest enim eidem esse coævus, ceu ex radiis solaribus egregie cognoscitur. Similiter in finibus rerum creatarum perscrutandis ultra conjecturas vix procedere licet. Unde communes ipsarum fines in communicatione bonitatis divinæ, declaratione sapientiæ & potentia, ac promotione utilitatis humanæ, relucentes utcunque intelligimus; sed cujusque rei propriis eo modo ac ordine, quo intenti fuerunt, perspicere nunquam possumus, cum ipsa quoque utilitas ex parte hominis singulares & valde ambiguos admittat gradus. Verum his missis, insufficientiam præsentis hypotheseos excutiamus paucis, quæ hinc apparet, quod non omnis ordo naturæ foret jus naturæ. Nam ordo humanus itidem à natura pendet, id quod in consuetudinè satis deprehenditur, in alteram naturam abeunte. Deinde cum ordine divino hic in pluribus permiscetur negotiis, quæ ab Hugone Grotio in lib. I. de J. B. & P. c. I. §. X. & c. III. §. I. Gvilielmo Grotio in Enchirid. J. N. cap. II. §. 5. propterea dicuntur J. N. esse non absoluti, sed hypothetici, e.g. dominia, judicia, pacta & similia. Tacemus, non omne illud esse contra Jus naturæ, quod militat contra ordinem naturæ, uti ex hominis nutritione per clysteres, aliosve actus indifferentes pro more suo accuratissime deduxit Celeberr. DN. D. Thomasius in Disput. de Fundam. def. cauf. Matrim. insuff. §. 42. p. 14. Par fere repetendum est examen circa principium, quod multa disceptatione Sfortia Pallavicinus in Libr. de Bono cap. 3. defendit: Justum esse, quicquid naturæ placet. Naturæ autem nomine intellexit principium motus & quietis in mundo, quod necesse est, sapiens esse, quia motus tam pulcher ordinatusque est. Conf. Illustris DN. D. Leibnitz in Nov. Method. discend. docend. Jurisprud. Part. Spec. §. 71.

S. VIII. Multis prima fronte videbimus hic actum agere, Thomæ Hobbesii hypothesis tot refutantium telis confosam in lucem revocantes, quippe qui modo conservationem sui, modosta-

tum naturalem, bellum omnium in omnes designantem, in demonstrandis juris naturalis conclusionibus urget actuetur. *Conf. L. de Cive c. 1. §. 2. c. XIII. §. 7. Leviath. c. XIIII.* Et quamvis in allegato libro *de Cive cap. 2. §. 2.* ipse profiteatur, Legem naturae huic quoque innati fundamento: querendam esse pacem, ubi haberi possit, ubi non possit, querenda esse belli auxilia; nihilominus cum non communem, totum genus humanum felicitate sua beantem atque constantiam, sed tantum particularem, atrocissimis bellis partam, intellexerit, ei assensum nostrum non immerito recusamus. Multo minus vero se se nobis probant paulo ante enarratae hypotheses.: quarum una de conservatione sui, brutorum instinctus, in amore vitae, metu mortis, fuga doloris, desiderio utilium, procreatione & educatione sobolis, pariter regit ac moderatur. Nullum enim animal ad usum sui rude est. *Seneca epist. 121.* Et consularis Orator, Cicero, maxime notabile hujus conservationis praebet testimonium in lib. 1. de officiis cap. 4. Principio generi animalium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcunque ad vivendum sunt necessaria, inquirat & paret; ut palatum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Commune autem animalium omnium est conjunctionis appetitus, procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Quibus inducti testimoniis jam credimus Bœclero, Argentinensium magno Philosopho, de Hobbesio iudicanti eum, nisi ipse summus admirator sui, quam auditor veterum esse maluisset, ad maximorum ingeniorum gloriam per venturum fuisse. Neque altera, quæ bellum omnium in omnes eligit, à nobis recipi debuit. Certè in tali statu totum genus humanum periclitatur, & parum abest, quin per illum funus reddatur, quod recte metuit DN. D. Hedingerus in *Conspectu J. N. q. 5. §. 4. p. 30.* Cum enim vim & dolum in illo statu bellico virutes cardinales esse contendens, eas non quidem ad cavendi prudentialiam, quod in Hobbesio æque tolerari potuisset, atque in Hugo Grotio Proleg. §. IV. & in lib. 1. de J. B. & P. c. II. §. I. n. 6. Lib. III.

c.i. §. 6. sed ad perpetuum jus nocendi referat in *Leviatb.* c. 26. exinde citra ullas ambages liquidissime appareat ex Hobbesii mente, hominem homini insidiari fas esse; cui tamen arcta isthac necessitudo & cognatio, quam inter nos natura constituisse, dicitur à JCto Florentino (*in L.3. ff. de J. & J.*) semper repugnat. Idem comprobat Seneca *in controversiis*, neque feris, ait, inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una stirps, idemque sanguis sitis? Hæc fatis erunt ad confutandam Hobbesii opinionem, quam multo prolixius instituerunt Viri in Republica literaria immortalem nacti gloriam, DN. de Puffendorff. *in Lib.2. de J.N. & G. cap. II*; §. 16. 17. 18. Ilustris DN. D. Obrechtus *in Tr. de Sponsoribus Pacis. tb. II. p. 50.* DN. D. Thomasius *in Inst. J.D. lib. I. c. IV. §. 19.* Neque ita pridem DN. D. Hertius *in Disp. de Socialitate, primo J.N. principio c. 1. §. VIII. p. ii.* DN. D. Beccmannus *in Meditat. Polit. cap. 4. §. 4.* D. Samuel Strimeius *in Orig. Morali Disp. V. §. 11. p. 173.* DN. D. Samuel Andreæ *in Disput. Polit. fundamenta Politice Hobbesiana in libro de civi jacta discutiente, ejusque analysin accuratiuè instituente.* Interim videat DN. D. Samuel Strimeius qua veritate & candore *in Orig. Moral. Disp. V. §. 14. p. 179. seqq. in Praxiologia Apodictica c. 3. §. 10. p. 89.* exprobraverit B. DN. de Puffendorff, quasi statum naturalem, seu bellicosum Hobbesii amplexus jus naturale eidem superstruxerit. Sed enim vel sola lectio librorum, Puffendorffii probationem hanc fictam esse quemque edocebit. Faciamus tamen B. Puffendorffio aliquando verba excidisse (uti DN. Strimeius propterea, illius *I.2. de O.H. & C. cap. I. §. 2. 3. 4. & 5.* notavit,) statum ad structura naturalem; magis tamen ad convincendos adversarios, acut necessitatem societatis tranquillæ fortius inculcat, quam ex propria mente ea protulit. Quandoquidem statim in Praefatione allegati libri, iuc collineavit, nempe si e statu hominis declaranda esset Lex naturæ, non integrum, velut plane ignotum, sed minimum eligendum esse corruptum: quia Decalogus, quem plerique dissentientium habeant pro repetitione Legis na-

ruralis, singula fere præcepta isti statui applicuit. Quot in eo extant prohibitiones, tot argumenta præstantur proclivitatis humanae ad virtus prohibita. Unde etiam de hominibus in universum Séneca, et si Paganus Philosophus lib. i. *de beneficis cap. XI.* Semper de nobis, inquit, pronunciare debemus malos nos esse, malos fuisse, invitus adjiciam, futuros esse. Vis amplius dicam? Homo est omnium animalium pessimum ac deterrium, quo nihil pejus ac atrocius.

§. IX. Multorum etiam animos invasit opinio, quasi fundamentum sit juris naturalis intrinseca actuum humanorum honestas ac turpitudo. DN. D. Velthremius in *Introd. ad H. Grotium de J. B.* & P. l. i. c. i. qu. i. p. 195. & qu. 4. p. 257. DN. D. Sam. Rachellius de J. N. & G. Disp. I. §. 32. p. 29. DN. D. Osiander. in *Annot. ad H. Grot. O. 5.* p. 59. DN. D. Joh. Jac. Müller in *Inst. Moral. Pr. 1. c. 2.* quibus prælulit H. Grot. l. i. de J. B. & P. c. i. §. 10. hac nota, ait, jus naturale distat non ab humano tantum jure, sed a Divino voluntario, quod ea præcipit aut vetat, quæ per se & suapte natura aut debita sunt, aut illicita. De horum auctorum sententia, si ea libertate nobis uti permisum est, quam ipsi in refutandis aliorum, saepe etiam veris sententiis usurparunt, fatendum erit, nullas dari actiones posse suapte natura honestas ac turpes, quia actiones secundum naturam suam spectatae sunt mera potentiae naturalis in agente exercitia, per se ad bonum & malum indifferentia, ut demum per impositionem Legislatoris habita ratione conditionis ejus, cui præscribuntur, aut prohibentur, honesta aut turpia evadant. Ut sileamus circulum, in quem ejusmodi hypothesis incidit, nenippe jure naturali aliquid est præceptum ac prohibitum, quia per se est honestum, vel turpe, & vicissim per se & ex sua natura honestum aut turpe: quia est jure naturali præceptum aut prohibitum. Periculum, quod ex hujus sententiae electione certo metuendum, nec B. DN. D. Mævius, at quantus justitiæ facerdos! hoc vitavit in *Prodrom. Jurisp. Gent. insp. 2. n. 38.* statuens, jus naturæ esse quidem immutabile, non tamen supra Deum esse erectum, ut Deus ei sub-

sit, & aliquando ex malo bonum efficere non possit. Certe hoc asserto Dominium ac jus absolutum in omnia Legislatori summo adimitur, nec non Deus ipse dependentia rebus redditur ab ipso dependentibus. Quod probe animadverens Petr. Poiretus *Lib. 2. Cogit. Rat. c. 10. dixit*: Deum gloria sua spoliant, quotquot actuam humanorum bonitatem & malitiam ejus placitum antecedere, aut non primo ipsi Deo deberi existimant. Propterea non facimus cum Moralistis, Ludov. de Molina *l. 1. de J. & f. Disp. III. n. 3.* Roderico ab Arriaga *Tr. de LL. Disp. XVI. sect. 3. n. 3.* Bernh. Morifano in *Disp. Eth. 3. Dub. 1. p. 675.* disserte afferentibus, Legis naturalis obligationem ex objecto oriri, & se diffundere in præceptum.

S. X. Quanquam ex supra dictis facile pelluceat, quæ hypothesis sit, ac sententia nostra circa juris naturalis investigationem & demonstrationem; altius tamen hanc repetendam esse æquum duximus ob varios alias de socialitate injectos Grotio & Puffendorffio scrupulos, ut recentiores tantum commemoremus, DN. D. Samuel Reiherum, Mathemat. & JCtum celeb. in *not. ad Scharockium libb. de Officiis secundum J. N. L. 3. c. 3.* DN. D. Strime-
sium Theolog. ac Philos. insignem in *Fontibus Morali. Disp. 2. §. 9.* & quem omnibus præponere debuissemus, nominis gloria ac constantissima solidæ eruditionis fama, nos satis cohortante, Illustrem quendam JCtum in *novissima Disp. de Unico Vero & Adequato Juris naturalis principio*, quod in sola Dei voluntate querit, l. c. §. 34. seqq. rejecta societatis custodia, tanquam oppido falsa & impia. l. c. §. 15. & 23. Antequam rationum pondera, quæ nostram stabilunt sententiam in veritatis lanceexaminamus, necessitas atq; rei gravitas exigit, ut, quid socialitatis nomine intelligamus, quæ saepius cum societate ipsa confunditur, paucis tradatur. Numirum Socialitas est communis quædam propensio, humano generi a Deo indita, vi cuius desiderat vitam cum aliis hominibus tranquillam & beatam. Breuius a DN. D. Thomasio describitur in *Disp. de Fundamentorum definiendi causas Matrimon. insufficiencia* §. 49. p. 17: Socialitas est amor humani generis, genuinum vero juris naturalis fundamentum esse socialitatem præter DN. Puffendorff. in *Jurisprud. univers. Elem. O. 4.*

§.4.5.p.40. seqq. & in L. 2. de J.N. & G.c.3. §.15. seqq. in Specim. Contr. c.8. & in Apolog. §.23. Quocum ex esse consentit DN. D. Nicolaus Hertius, JCtus Giffensis in Dissertas. ad L.3. ff. de J. & J. in qua solide tuetur socialitatem primum juris naturalis esse cognoscendi principium. Id quod etiam evincunt singulæ ejus conditiones (1) ex solo lumine rationis innoscit ejus veritas. (2) a quo libet admittitur, quamcumque denum circa Religionem habeat persuationem. (3) Omnia juris naturalis præcepta in se complectitur, ut ex socialitate faciliter negotio deduci, in eamque feliciter reduci possint. B. DN. de Kulpis in Collegio Grot Exerc. I. §.4. Neque a veritate semel agnita nos argumenta Viri Illustris deterrent, in quibus, quod pace ejus dixerimus, societatem humianam permutat cum socialitate, neque jus naturæ distinguit a jure morali & universalis positivo, quo de alibi dicendi campus se ostendet. Maxime autem objicit (1) Genus humanum posse societatis custodiæ renunciare, & ita extinguere totum jus naturæ *Disp. cit. §.5.* Resp. Id valeret, si societatis custodia obligationis, non probationis principium esset. Quod vero ex quorundam ingeniorum pravitate ac temeritate, propriæ tranquillitatis munimenta sibi rescindentium, evenit, non attribuendum est naturæ proclivitati. Deinde socialitas non quamcumque utilitatem complectitur, sed eam, quæ necessariam cum natura humana habet connexionem, cui nemos sine renunciatione propriæ naturæ, & degeneratione in brutum potest renunciare? Renunciare itaq; utilitati tantum illi licet, quæ non involvit necessarium respectum ad ipsum renunciantem, & quoties in solius renunciantis favorem introducta est. Neque porro ad rem pertinet Eremitarum (*Disp. cit. §.31.*) vivendi ratio, quo magis superstitione nixa est, eo minoris valet probatione ac imitatione. Certe in conjunctione cum aliis tranquilla ideo tenemur omnes vivere, quia neuter sibi sufficit. Nullum solamen in solitudine, nullum adjumentum in negotiis, nulla sine socio jucunda possessio, nulla protectio adversus injurias. Baco de Verulamio *de A.S.L.8. c.1.* & Seneca *I.4. de Benef. c.18.* Fac nos singulos, quid sumus? Prædæ animalium

& victimæ ac vilissimus & facillimus sanguis. Athei itidem Deo renunciant, quem alii tanquam summum bonum venerantur, ac beatioris vitæ desiderio non dimittunt ex animo suo, Ergone Dei voluntas desinit principium esse juris naturalis? Neque tollitur hæc difficultas *in Disp. cit. §. 40.* ubi dicitur, ab illustri viro: atheos dari re ipsa vix credimus: cum tamen tristissima aliud doceat experientia: licet illustri viro id largiamur secundum animi convictionem, non vero secundum oris professionem ac vitæ improbae continuationem.(2) Ex socialitatis custodia scelera inferri, uti adulteria Massageterum, Spartanorum furta, Tartarorum latrocinia non turbasse, sed conservasse hominum cum aliis conjunctionem *Vid. l. c. §. 23.* Resp. Evidem societas mater esse poterit scelerum, non æque socialitas: quoniam hæc diuinus insita est ad vitæ tranquilitatem. Senecam producimus testem *in epist. 95.* ab Illustri Viro allegatum *l. c. §. 25.* Natura, nobis mutuum amorem indidit, nos sociabiles fecit. A Deo igitur naturæ opifice, imo ex mente Stoicorum ipsa natura existente, nequeunt, nisi bona in genere suo provenire. Et Grotius juxta ac Puffendorfius, quando jura naturæ demonstrarunt e natura hominis sociali, non certe tales hominum conjunctionem intellexerunt, qualem inter se habent latrones, qui criminis causa sociantur. H. Grot. *l. 3. de J. B. Et P. c. 3. §. 2. n. 1.* sed penitus excluderunt, quod hæc potius hominum naturæ sociali disconveniat. Imo si accurate philosophari velimus, istiusmodi malorum hominum confluges, factio ac globus, ne quidem societatis nomen merebitur. Nemo enim facile iis se adjungit, quibus jus, fas, fidesque vilia putantur. H. Grot. *in Proleg. §. 27.* Quando igitur Vir Illustris *l. c. §. 41.* ita invehitur in H. Grotium, nullam hac profaniorem, in vita humana perniciosem, quæque profanis latius senestram eludendo juri naturali aperiat, sententiam esse: dari jus naturæ, et si Deus non sit; recte illam emendans Vir illustris, melius dici, principium juris naturalis esse ipsum Deum, aut ejus voluntatem: tunc non consentientem solum, sed præeuntem etiam habuit H. Grotium. Hæc enim sunt illius verba *in Proleg. §. 12.* naturale

JURIS NATURALIS HYPOTHESES.

79

rale jus, sive illud sociale, quanquam ex principiis homini internis profluit, Deo tamen adscribi merito potest. Et paulo post in lib. i. de J. B. & P. c. i. §. 10. jus naturale refert ad auctorem naturæ Deum. Atque idem confirmat in annotat. suis ad jam allata ex Proleg. verba testimonio Chrysostomi & Chrysippi. Quorum sana nos repetentes dogmata vetus istud cupidæ legum naturalium juventuti identidem inculcamus: Deum sequere, Senec. Lib. de Vita Beata. c. 15. (3) Quod præcepta naturalis religionis officia hominis solitarii cum erga se, tum erga bruta nequeant ex socialitate probari. Resp. Singula etiam ex hac probantur, si non directe, attamen indirecte, ut ne huic probandi modo evidenter deficiat. Quandoquidem religio societatis vinculum præbet metu numinis, tanquam auctoris virtutis socialis, incusso. Homo autem in solitudine degens non in præsenti focius est hominis certi, sed tamen manet sociabilis, imo a magna illa mundi societate neutiquam se excludet. Tandem brutis tanquam societatis, humanæ utimur instrumentis, ne promiscuo illorum interitu, vel ipsa specie vel laborum nostrorum auxiliis privemur. Unde etiam in bruta delinquere & injuriosum esse hominem posse confirmamus: cum Excellentissimo DN. Henr. Bodino, felicissimo juris naturalis interprete, in aurea Dissert. de jure mundi §. 21. p. 130. quamvis ipse ex violato naturæ ordine, veram istius delicti rationem eruat. Pulchre hæc omnia complectens responsioni nostræ adsentire videtur DN. Borgesius in Enodat. J. N. c. i. §. 10. dicens: consideramus Deum ut Regem, mundum ut communem urbem, & civitatem illam magnam hominum, ac unumquemque nostrum ejus partem ac civem. (4) Si nullum esset naturæ jus, nisi in respectu ad societatem humanam, quid fieri eo tempore, quo Adamus solus ante productos alios homines vixit? sane nullis naturæ legibus obstrictum fuisse secundum hanc sententiam dicendum fuerit, atque adeo integrum illi per hanc opinionem relinquitur, eo quidem tempore colere Deum, vel non colere, patrare foeda alia, vel non patrare, quod absurdum esse nemo facile videt. DN. D. Ericus Mauritius in Diff. de Princip. J. P. G. c. 4. sect. 3. §. 32. p. 84. Resp. absentia actualis societatis non tollit socialitatem, seu pro-

80 CAP. II. DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS
proclivitatem in conjunctione cum aliis hominibus tranquille vivendi. Quamvis igitur sub initium productionis suæ Adamus non fuit constitutus in actuali hominum societate, arctissimo tamen Deo jungebatur consortio, & cum solus adhuc terram incoleret, in semet ipsum cogitationes reflectens, evidenter intelligere potuit, se conditum esse ad societatem cum aliis a Deo producendis aliquando ineundam, ac pacate transigendam. Propterea Deo Adamus adhuc solum existens cultum debuit præstare, tanquam offici suo, amorem tanquam S. B. similiaque officia, ne vinculum societatis, quod inter Deum & ipsum intercederet, aliquando abrumperetur. Et sane respectus ad futuram hominum societatem jamdum præstruxit fundamentum officiorum, erga se ipsum obser-vandorum. Neque Adamo licuit födacommittere scelera, partim, ut idoneus cultor Divini Numinis, partim, ut communum & utile membrum societatis evaderet. Reliqua dissentientium argumen-ta in aliud tempus rejicimus, quo melior nobis occasio se se offeret, ut iis solvendis immoremur.

CAP. III.

De discrimine Juris Naturalis ab aliis juri bus & nominatim a virtutum præceptis.

S. I. *Necessaria est Legum separatio. Ius Nature a reliquis differt* (1) *obligatione* (2) *promulgatione*, (3) *justitia. In primis vero a Jure Dei positivo universalis, quod Grot. indicavit, Pufendorff. subinde usurpavit, DN. Thomas. probe vindicavit. Characteres illius juris. Inter quos non esse Dei abominationem cum DNN. Strykio & Buddeo afferitur. Q. Num juris Di-*

vini universalis ignorantia excusat? Falsa hypothesis celebrissimi cuiusdem Viri refutatur. Modus promulgationis exprimitur tam Legis naturalis, quam positivarum, præsertim vero humanarum. In justitia convenit J. N. cum positivo Dei universalis, non autem cum humanis. Rationes de injustitia LL. humanarum 1) a Rerum publ. corruptione 2) a neglecta juris na-turalis

AB ALIIS JURIBUS ET NOMINATIM &c.

81

turalis observatione. Hugonis Grotii distinctio inter jus & iustitiam laudatur.

§. II. Legis Naturalis discriminatio a lege morali exhibetur (1) in modo promulgationis (2) in officiis & preceptis (3) in adjunctis, sc. promissionibus Divinis & foedere gratia. Inter Deum & hominem societatem esse lumine naturali cognoscitur; non fædus. Contra Zieglerum illa societas defenditur. (4) in fine: Legis moralis est eterna, juris naturalis vero felicitas temporalis. Scrupulus de immortalitate anime excutitur. Decalogum totum non esse juris naturæ typum ostenditur occasione quorundam preceptorum e. g. de fabricandis imaginibus, colendo Sabbatho, fugienda prava concupiscentia. Laudatur DN. D. Thomasi sententia. De Legibus ceremonialibus & forensibus paucis agitur. DN. D. Eisenbarthi opinio probatur.

§. III. A jure naturæ non differt jus Gentium pro lege aut jure positivo humano proprio dicto acceptum. Ratione id probatur. Auctores & dissentientes & consentientes caterbatim allegantur. Object: illorum solvuntur

(1) a gentium pacto. Resp. Illud non tam condit, quam supponit legem. Applicatio inter pactum expressum & tacitum refutatur. DN. Tesmari opinio laudatur. (2) ab illarum imitatione. Resp. insufficiencia hujus ex ortu & usu satis elucet. Quale jus gentium in jure Romano ut plurimum intelligatur? (3) a gentium moribus. Resp. occasio non juris statim est productio. Ius gentium non esse consuetudinarium contra Moralistas defenditur. Distinctio inter gentes moratas & barbaras, ob judicem ac testes hic deficientes rejicitur. Unde Turces non tam esse, quam videri barbaros, luculento ostenditur exemplo. Distinctiones inter jus gentium primarium & secundarium. it. inter jus iustitia & utilitatis remissive. Notatur Hackmanni sententia & Hedingeri recipitur distinctio inter conclusiones juris naturæ nudas & vestitas. Tandem jus gentium pro facultate agendi, jure naturæ permitta, acceptatur, & juxtam etenem DN. D. Glette explicatur, illico autem veneni usu in bellis illustratur.

§. IV. Differentia inter jus & virtutem indicatur, (1) ratione finis

82. CAP. III. DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS

nis: illud magis ad externam, bac vero ad internam vita innocentiam tendit. Laudatur DN. Cellarii sententia. (2) ratione objecti, virtus circa id, quod nostrum, jus vero circa id, quod alteri debitum versatur: Adeoq; non illius, sed bujus violatio sapit injuriam. Exemplis illustratur. Prodigum non delinquere contra jus naturae cum DN. Tefmaro defenditur contra H. Grot.. (3) ratione adjuncti: jus cogit, virtus monet: illud pœnas minatur, bac premis cultores suos remuneratur. Virtutum præmia ex Arnaldo Geling. remissive.. Quicquid coacte fit, nomen virtutis perdit. Varia Seneca proferuntur testimonia. Q. Num detur actio ingrati? Contra Bacclerum banc promiscue afferentem, distinctione solvitur inter axagiscou simplicem & pregnantem: illamque iterum vul-

garem & eminentem: Ex. bac enim uti bellum in statu naturali, ita actio in statu civili datur. Sententia nostra a suspicione novitatis excusatur calculo Justiniani Imperatoris, Seneca & H. Grotii.

S. V. Legem nature distinguere a consilis necessarium. Illustratur exemplis, de hostis vindicta, it: de certo eleemosynarum numero. Legis & consilii convenientia est intuitu regule; differentia a) ratione principii, illius voluntas imperantis; bujus ratio, persuadendi. b) ratione effectus: Lex libertatem constringit, consilium eandem relinquit. Hobbesi bac. in re testimoniis. Consilia Evangelica ab H. Grotio passim defensa Theologis refutanda permitiuntur. DN. D. Ofiandri decisio laudatur. Conclusio totius Disputationis.

S. II.

QVAM intricata & per omne genus obscurandæ veritatis agitata sit hæc controversia, quæ jurium inter se discrimina slistit, non eget demonstratione nostra, sed. deploratione. Neque, paulo diligentius nobis eam consideraturis ignorare posunt esse causæ, quæ partim a diversis hominum studiis, partim a Jurisprudentiæ naturalis depravationibus, interpretum erroribus, aliisque veritatum deliquiis pendent. Nobis igitur in metiendis ac circumscribendis Jurisprudentiæ naturalis finibus adhuc occupatis,

patis, illa ignavo non omittenda fuerunt silentio, quæ ad separationem hanc ab aliis legibus commode pertinet, ne admissa confusione, fœcunda vitiorum errorumque matre, ea, quæ annuente Deo, cum summis vigiliis & alacri industria perfecimus, penitus everteret. Quod igitur ad modo dictam attinet differentiam, jus naturale separantem ab aliis juribus, illa partim in obligationis origine, partim in promulgationis modo, partim in adjuncto, nempe justitia, a justi & æqui consultis observatur. Evidem jus naturæ etiam obligat ex voluntate supremi imperantis, nempe Dei, quem non approbatorem, sed autorem ejus supra defendimus; verum tamen obligationis exercitium demum sese exerit habita socialitatis ratione, ad voluntatem Divinam recte cognoscendam suum conserentis B. DN. de Puffendorff, *de J. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 5.* Qua nota distare jus nature putatur non ab humano tantum jure, utpote quod a voluntate humana dependet in origine & duracione, H. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 24.* sed & a divino voluntario s. positivo, quod ex mero Dei bene placito vim obligandi & prohibandi habet, & quoniam illud est summe liberum atque ea, quæ necessariam connexionem cum hominis natura sociali non habent, præscribit, exinde quoque concludimus, abs Deo id pariter mutari posse, imo illius contrarium præcipi. Primus vero hujus discriminis autor H. Grot. *l. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 15.* Quamvis in arduis controversiis id postea neglexerit, quod etiam Puffendorffio, vestigia Grotii presse legenti, accidisse, ut ne distingueret semperea, quæ jure hoc positivo prohibita sunt, ab illis, quæ sub juris naturalis cadunt dispositionem, animadvertisit Celeberrimus DN. D. Thomasius in *Institut. Jurispr. Divin. l. 1. c. 7. §. 14.* qui in singulis capitibus, ut ingenue promisit, ita optime præsttit, quo accuratius discerneret actus juris naturalis ab aliis, quos jus Dei positivum universale sibi vindicat, in primis consulatur *L. 3. Inst. Jurispr. Div. cap. 3.* Neque evagabimur extra oleas prædicti juris conditiones nunc designantes tanto instructi duce in *Inst. Jurispr. Div. c. 4. §. 79.* Quorum (1) ut scriptura indicet, legem istam Dei pertinere ad omnes homines, (2) ut actum præceptum ac prohibitum esse sola ostendat,

84. CAP. III, DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS

(3) ut iste actus ex socialitate deduci non possit. Quibus nonnulli adjiciunt Dei abominationem, quam in gentilium moribus testatus est Deus, contra hanc licet positivam legem suam, universalem tamen commissis eosque propterea se terris expulsum minatur. Verum illam non perpetuam esse hujus juris conditionem præter illustr. DN. Strykium in *Not. ad Lauterb. Compend. Jur.* p. 19. demonstretat DN. Buddeus in *peculiar. Disp. de abominatione. Div.* Et ita non excusamus populos, ad quos plena istius notitia non pervenit, quod fecit Vir Illustris in *Disp. de P. F. N. U. V. & A.* §. 3. ubi Grot. supra allegatum §. 15. hoc modo interpretatur: In promptu causa est, quia ius Dei positivum universale negat, & plerosque ejus actus ad J. N. reducit, ea nixus ratione, quasi Deus nullum toti hominum generis ius constitueret præter naturale: quæ tamen sponte sua corrueret, dummodo considerentur leges, mysteria Divina. aut pecunarum genera complexæ, de quibus in præcedentibus quoque diximus. Nos reversi ad propositum nostrum, in promulgationis modo etiam discrimen quoddam investigamus. Jus enim naturale per dictamen rectæ rationis promulgatur. Puffend. *de F. N. & G.* l. i. c. 6. §. 13. & l. 2. c. 2. §. 13. Jac. a Ryssel in *lib. 1. de F. N. & G. cap. 3.* §. 13. ut ipse homo matura aetate & laeta mente ex contemplatione naturæ atque conditionis suæ ea cognoscat, quæ facienda vel fugienda sunt. E contrario Leges positivæ seu Divinæ, sive Humanæ per promulgationem publice & perspicue factam in subjectorum notitiam perveniunt: illæ quidem peculiari revelatione in sacris literis comprehensæ; hæc vero vel voce ipsius Legislatoris, vel autographo, vel per eus delegatos civibus publicantur. Puffend. *de O. H. & C. Lib. r. c. 2. §. 8.* Quemadmodum igitur omnes Leges præstationem officii exigunt, ita etiam necessario cognoscenda erunt. Nam actionem suscipere, quam quis non cognoscit, est sine intellectu & voluntate se gerere, quod brutorum, non hominum est proprium: Talis autem cognitio non obtinetur, nisi promulgationis interventu. Atque hæc sunt, quæ de promulgationis modo delibavimus. Restat illud discrimen, a justitiæ adjuncto petitum, quod nunc eruemus. Ubi de Lege divina positiva nullum.

lum nobis est dubium, cum a D^o lata sit, quem constat esse justissimum & infallibilem. Neque circa Legis naturalis justitiam hæsitamus, quippe quæ a Deo ipso animis nostris inscripta est. Deum autem illis nil inscribere, nisi bonum, illius arguit bonitas. De Legibus itaq; humanis nobis sermo erit, de quarum efficiencia non esse justitiam acutissimum omnium Politicorum Hermannus Conringius *in Dissertat. de Jure* tb. 36. demonstrat e Rebus publicis corruptis, quas dari tam certum est, quam solem splendere, cum sudum est. Leges vero injustæ sunt ad iniuricula, quibus Res publicæ instituuntur, conservantur & augentur, ut proinde, quales sint Res publicæ, tales debere esse Leges, necessum sit. Accedit, quod de peculiari Reipublicæ administratione natura nihil propemodum fanxerit, sed humanæ illam prudentiæ & libertati reliquerit; & quamvis aliquem certum ordinem velit, quem in procurandis civilis vitæ negotiis sequi debeamus; nullum tamen definivit, sed humanæ hunc potius industria reliquisse videtur, ut pro ratione gentium ipse viderent homines, quæ e re sua sit futurum maxime, ut loquitur iterum Hermann. Conring. *in Prefat. ad Tacit. de Mores Germ.* p. 19. & *in Disp. de summa potestat. subiecto* tb. 23. Cum igitur in propatulo sit, Leges etiam Reipublicæ statum immediate concernentes, juris naturalis haud esse, sed omnes esse mere positivas: Sequitur alias esse leges, quæ cum ex jure naturali non fluant, etiam sint injustæ, atque eo nomine à jure naturali plane distinctæ. Vid. D. Petr. Musæus *in Tr. de LL.* c. 2. §. 43. Adamus Conzenius *in lib. 5. Polit. cap. 3.* Bœclerus *in Institut. Polit.* lib. 2. c. 3. Videlimus nunc, quo pertineat H. Grotii distinctio *in Lib. 3. c. 4. §. 2.* aliud esse, jura spectare, aliud justitiam, cuius rationem allaturus *in lib. 3. c. 10. §. 2.* quia jus accipit id, quod in judiciis externis viget.

§. II. Longe maximum vero discriumen ac indicatu summe necessarium est, quod inter legem naturalem intercedit ac legem moralē stricte dictam. Etsi enim utraque Deum habet auctorem, ac mores vitæ dirigit; nihilominus plane altioris est ordinis lex Divina moralis, quam naturalis: Illa revelatione supernatura in verbo, hæc inscriptione cordis promulgata: illa officia ho-

36 CAP. III. DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS
minis, qua regenitus & spiritualis: hæc officia hominis, qua ho-
mo aut civis est, inculcat: illa in præceptis & interdictis suis my-
steria supponit, quæ tamen hæc non attingit. Sic pravam con-
cupiscentiam vetat Lex moralis, quam Paulus legis naturalis cal-
lentissimus, noscere sine divina revelatione haud poterat. (*Rom.*
VII.7.) Quæ autem ratio sibi relicta perspicere nequit, illa extra jus
naturale esse, nemo facile negabit. Accedit porro, quod lex mo-
ralis innexam habeat divinam promissionem, & quandam ratio-
nem foederis inter Deum & homines, abs qua consideratione Jus
Naturale abstrahit, quoniam ista profiscuntur a peculiari Dei re-
velatione. Neque sufficit inter Deum & hominem esse societa-
tem, lumine naturæ non ignotum, uti Cicero in *lib. i. de Legibus* ait:
Prima homini cum Deo rationis societas, frustra obloquente DN.
Zieglero ad H. Grot. *lib. i. de J.B. & P. c. i. §. 3.* sive deficientem bo-
norum communionem, quippe quæ intra dominum & manci-
pium quoque cessat, salva societate; sive essentiæ divinæ & hu-
manæ diversitatem, quæ non societas, sed sociorum æqualitas tol-
litur, respiciamus. Conf. D.N.D. Thomasius in *Instit. Jurisprud. Natu-*
ral. I. 1. c. 1. §. 94. & in *Disput. de Philosophia Juris cap. 1. §. 8. seqq. p. 174.*
Henniges ad H. Grotium p. 55. inde tamen foedus inter Deum & ho-
minem nondum evincitur, quoniam istud initur gratia Dei salvi-
fica in verbo & sacramentis exhibita & per vinculum fidei conser-
vatur. Denique nec finis prætereundus est utriusque legis, e quo
non exigua appetit discrepantia. Nam Lex moralis intendit o-
mnimodam puritatem omnium facultatum & actionum in ho-
mīne, & præterea vitam æternam tanquam fructum perfectæ obe-
dientiæ. Ex adverso Lex naturalis tantum intra ambitum hujus
vitæ continetur, atque homini hanc præfigit metam, ut cum aliis
in conjunctione tranquilla vivat, & ita temporalem consequar-
tur felicitatem. Neque æternitatis desiderium, quod in ho-
minum animis deprehenditur, certo & liquido demonstrat, sta-
tum separationis, in quo animæ à corporis nexu liberatae vel præ-
mia capiant, vel luuant supplicia. Siquidem illud desiderium aut
ianatum est aut elicitum: Si innatum, minus probat: quia hæc pro-
pensio

pensio singulis rebus naturalibus fere communis est, ut appetant esse, quam non esse.. Renatus Cartesius *pr. 2. art. 37.* ait: nihil ad sui ipsius destructionem ex propria natura ferri potest. Cui addantur Claubergius in *Element. Ontosopha apb. 74.* & Daniel Sennertus in *Hypom. Phys. 1. cap. 5.* illustraturus hanc opinionem, ita scribit: cum res quælibet sui conservationem postuleat, eam consequitur cum fuga contrariorum tum motus ad similia & similium attractio. Hinc ignis igni unitur, aquam vero, ut contrarium fugit, & contra. Hinc parva flamma a majore velocissimè attrahitur, aut minor ad majorem movetur. Idem fit in aere. Hinc bullæ illæ in aqua fiunt, una ad aliam appellit, & eo velocius quo propior fuerit. Hactenus aurea Sennerti verba! Sin vero elicium sit animæ desiderium, plus probat; quia eodem multa optantur ab hominibus, quæ tamen ipsi non consequuntur, ut de vanis constat votis, in quibus declarandis operosus est DN. D. Beaman in *lineis moral. cap. VI. §. 4.* & in *Consp. Moral. c. IV. p. 63.* Sed regundorum nostrorum ipsi memores finium, prolixius hæc non exponimus legi's moralis & naturalis discrimina, quibus evolendis omnem adhibuit industriad Vir Celeberrimus DN. D. Thomafius in *Inst. Jurisp. Div. Dissert. Præmia. §. 47. seqq. p. 50. & 51.* cui non refragatur DN. D. Osiander in *Typo legi's naturalis. §. 44. 45. p. 167. seqq.* in *Theolog. Moral 1. 12. th. 1. seqq. p. 320.* His igitur probe cognitis nulla nos cogit necessitas, ut subscribamus Viro cuidam Illustri in *Disput. de P. f. N. U. V. & A. §. 3.* neganti differentialm omnem, quam jus Divinum morale habeta Jure naturali. Multo minus illorum ad stipulabimur sententiæ, qui cum Philippo Melanchthonie in *Epitom. Moral. Phisopb. p. m. 96.* Boëclero in *Comment. ad H. Grot. p. 4.* Rachelio in *Tr. de f. N. & G. Dissert. 1. §. 113. p. 117.* & DN. D. Jægero in *Tr. de Lege Natura quest. 15. p. 209.* singula juris naturæ capita ex Decalogo depromunt. Verum contra hanc disputari poterit, non omne, quod in Decalogo comprehenditur, juris naturalis esse stricte dicti: cum interdictum de non fabricandis imaginibus, quod primo annexitur præcepto, juris positivi esse ab omnibus existimetur: tertium præceptum de Sabato.

38 CAP. III. DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS

batho colendo sit intra controversia aleam positum, lit ne ceremoniale an morale? Propterea in eo accurate distingui debent (1) Dei cultus (2) colendi modus (3) cultus divini tempus; ille est juris naturalis, quia Deus multum superior imperio ac perfectior est homine, Ergo ab eo colendus erit: iste est juris moralis, quia modus Deum colendi externus, nisi revelatus, electius est: hoc vero juris ceremonialis, quia determinatio temporis in electione diei septimi erat mera solennitas, judaicum obligatura populum, adeoque inter Christianos mutata fuit. Petrus à S. Joseph. in *Summa Cas. Conscient. in Decalog. cap. 3. de tertio precepto. art. 4. p. 20.* DN. D. Osiander in *Loc. Theolog. loc. de Lege & Conscientia 14. tb. 76. p. 398.* DN. D. Simon in *not. ad Guil. Grot. cap. 4. §. 7. p. 91.* Ziegler in *not. ad H. Grot. p. 4. §. 7. p. 91.* B. Ziegler. in *notis ad H. Grot. p. 474.* DN. D. Becmann. in *Conspectu Morali c. 14. p. 141. & 142.* Et licet concedamus, totum Decalogum excepto saltem tertio præcepto, esse juris naturalis typum, admittere etiamnum debemus, & promissionem longævitatis in terra Canaan, in quinto præcepto inclusam, juris naturalis esse, quam tamen ipse gentium Doctor & optimus Legum sequester Paulus, penitus omittit (*Epb. IV. 23.*) & pravam concupiscentiam eodem jure prohiberi, quod identidem à nobis refutatum est. Quare perseveramus in pristina assertione, Celeberrimum DN. D. Thomasium secuti, qui aliis ad hanc jurisprudentiam cognoscendam prælucere, & accuratus præ reliquis non videri solum, sed esse etiam studuit *in lib. 1. c. 2. §. 3. in not. p. 51. & §. 40. p. 94.* ac intrepide dicimus: Legem naturalem, moralē & decalogum nec esse synonyma, imo illos semper confundere fines, qui prædictas leges in se distinctas pro synonymis amplectuntur. Interea, ne quidquam omississe videamur, paucissimis tantum verbis monemus, ideo nos Legum forensium ac Ceremonialium, tametsi a Deo conditarum, nullam adhuc fecisse mentionem, quia ceremoniales in quantum exhibent beneficia Messiae in sacrificiis adumbrata, magis ad evangelium pertinent, quam ad legem, facienda & omittenda imperantem, quamvis respectu horum quoque legum censu illas non eximamus. Forenses vero

cum spe & specie Judaicæ Reipublicæ extintas minus attendimus. H. Grot. l. i. de J. B. & P. c. 1. §. 16. & cap. 11. §. 7. quia nec nobis latæ, nec à nobis receptæ, ratione igitur doctrinæ in sacris literis recensentur, non vero ad legalem autoritatem & observantiam à Christianis enectæ fuerunt, tantum abest, ut facile ad fori praxin transferri possint, quoniam ea destituuntur, interpretationum ac decisionum copia, quæ juris Romani usum magis certum & luculentum reddidérunt, juxta mentem DN. D. Eisenhart in *Repres. J. N. c. 1. §. 19. 20. & 21.*

S. III. Ut feliciter emergamus ex opinionum fluctibus, circa jus gentium excitatis, quando alii jus gentium statuunt distinctum a jure naturali, tanquam peculiare jus voluntarium ac positivum, alii vero fascerunt, hæc duo jura inter se extrinseca dimittunt taxat denominatione differre: ut idem jus naturale integris civitatibus, nationibus, sive gentibus applicatum demum evadat jus gentium, quatenus civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales; ita expeditissimum erit in hac differentia, super quæ inter eruditos non satis convenit, posteriorem sententiam, utpote tuitiorem, nunc amplecti cum Thom. Hobbesio de Cive cap. XIV. §. 4. seqq. Scharockio in lib. de officiis secundum J. N. in *Institut. c. 10. p. 129.* B. DN. Puffendorffio de Jure nature & gentium, lib. II. c. 3. §. 22. DN. D. Thomasio in *Instit. J. Div. l. i. c. 2. §. 103.* DN. de Ryssel de jure N. & G. cap. 7. §. 16. seqq. Siquidem jus gentium debet species esse aut juris divini, aut juris humani; Non illius, quia hoc modo desineret esse jus gentium; Neque hujus, quia jura humana postulant legislatorem hominem, qui imperio superior est, juri suo subjiciendis: Talem autem gentes in statu mutuae æqualitatis viventes, prorsus excludunt. Cum vero ultra jus naturæ & positivum intermedia species singi nequeat, in primis quod Jus Naturale ex una lege fundamentali non privatos tantum, sed & Principes & liberos populos inter se ad justa facienda obligat, quæ inter jus naturæ & gentium expectatur spes differentiæ plane decollat. Evidem contrariam tuituri opinionem, quod jus Gentium sit jus positivum proprie dictum & a jure naturali separatum, ad varias configuunt rationes, quas legere licet apud Alberic. Gentilem de Jure Belli l. i. c. 1. Zuchæum de Jure Faciali pr. 1. scđt. I. Hug. de Roy de eo quod justum est Tit. 3. §. 7. H. Grotium l. i. de J. B. & P. c. 1. §. 14. DN. D. Obrecht in Comm. ad H. Grot. p. 1046. D. Wolfgangum

Textore*nt in Synops. J. G. c. 1. n. 20. & 21.* D. Jacob Müllerum *in Inst. Jur. Gent. c. 2. pag. 33. seqq.* D. Rachelium *de J. N. & G. Disp. II. §. 86. seq. p. 303.* Et vehementer objiciunt (1) pactum gentium. Resp. Pactum sine lege non obligat; quoniam ibi nulla est obligatio, ubi nullus adest imperio superior, adeoque nullum obligat pactum, nisi iure naturali ac civili confirmetur. Fac etiam, merum pactum sufficere ad jus gentium, omnia omnium pacta, quibus se privati invicem obligant, jura quoque positiva proprie dici possent, quia gentes singulæ inter se loco privatorum sunt. Deinde aut expressum intelligunt pactum, aut tacitum. Expressum doceri. nequeunt sive ex gentium comitiis, sive ex pacti hujus tabulis ubique cessantibus. Tacitum vero, si adesse putent, non minor eos premet difficultas. Unde enim præsumunt consensum tacitum, nisi ex iure naturali, sed istud: jus gentium, quod ex iure naturali præsumtione erit, iterum non satis Juri naturali contradistinguitur. Aliud incommodum nobis suppeditat circa tacitum gentium consensum D.N.D. Jo. Tesmar *in Comm. ad H. Grot. p. 20.* dicens: Obligatio juris gentium non est in tacito gentium consensu ponendum: tolli quippe ille contrario consensu potest, adeoque everti jus Gentium. Denique omne ius positivum & ex voluntate humana ducens originem suam, fertur invitis, quia jussum est, sed quæ hominum voluntas potest gentes, ut gentes sunt, cogere. (2) Gentium imitationem. Resp. Neque hæc ad Jus Gentium sive probandum, sive distinctivendum a iure naturali conduit: Tum, quia universalitate caret, ususque continuo, tum quia non ubique consilio aut consensu, sed saepè casu obtinuit, tum quia ejus respectu jus civile inter gentes distributum etiam jus gentium foret. H. Grotius *de J. B. & P. l. 2. c. 8. §. 1.* Atque huc spectant plerique privatorum modi acquirendi, qui Juris Gentium dicuntur in Institutionibus Justinianis. D.N.D. Thomasius *in Inst. Jur. Div. I. I. c. 2. §. 123.* Fortassis, ex nimia persvensione, dum JCti Romani putarunt, quicquid gentium erat, id populi Romani iugo esse subiectum, adeoque leges suas, nil nisi gentium ius esse (3) mores Gentium vero arbitrarios. Resp. Mores non sunt ius ipsum, sed juris producendi occasio. Atque mores Gentium, si quod conderent ius, non possent, nisi confuetudinem aliquam condidisse. Enimvero extra Remp. hanc frustra querimus, licet ad universalem & communissimam confuetudinem referant ius Gentium non pauci Moralistarum, Franciscus Amicus *in Tr. de Legibus Disp. 5. sec. 1. §. 5.* Rochus

Rochus de Curte *Tr. de Confuetudine* *sett. 5. n. 5.* Joh. Abellius in *Tr. de Legibus*, *c. 3. sett. 4.* Ludovicus de Granata *Lib. 7. de J. & G. cap. 4.* Nobis veritatem omni præponentibus autoritatí humanæ, & ab horum dissentire assertione licebit, ratione nixis non contemnenda: quia omnis consuetudo et tacito Imperantis consensu & approbatione dependet, qua deficiente, meri est facti. Ubinam inter gentes, summa se tuentes æqualitate aliquis Imperantum conspicietur? Periculosa igitur distinctio inter gentes barbaras & moratas. Nulla enim gens salva hac æqualitate & pace communi alteram juxta se barbaram declarare poterit, judice ac testibus barbarie definita: Judicem non habent gentes, quippe quem illarum paritas excludit: Neque testibus omni exceptione majoribus uti poterunt, quia qualibet gens vel defensores vel imitatores morum suorum invenit. Conf. H. Grötius *de J. R. & P. lib. 1. c. 1. §. 12.* Puffendorff. *de J. N. & G. I. 2. c. 2. §. 7.* Joh. Jacob a Ryssel *de J. N. & G. cap. 27. §. 4.* Accedit, quæ apud unam gentem, partim infamia, partim humilia, & ab honestate remota ponuntur: Contra apud alteram decora atque honesta reputantur. Notius est, quam ut explicatione egeat, Turcos barbaris accenseri gentibus, cum tamen vele ea causa hanc labem in ipsis eluat, qua nullam in precio habere dicuntur nobilitatem, nisi quam virtuosa facta alicui pepererunt. Sic enim de Turcis Petrus Bellona in *L. 2. O. P. c. 96.* Maxima illorum laus est, quando dicere possunt, Paren's meus fuit agricola, vel operarius, vel pecoris pastor, ego virtute, labore, & industria hunc mihi dignitatis gradum acquisivi. Clarius eximios hosce Turcorum mores adumbrat Busbequius in *Epist. 1. Legat. Turcic.* his verbis: Nullus in tanto Janizariorum convêntu nobilis, nisi suis virtutibus ac fortibus factis: Natalibus nemo a reliquis distinguitur: Honor cuique pro muneric & officii, quod administrat, ratione defertur. Similia enarrant Salomon Schweigger in *lib. 2. seiner Reise cap. 48.* & Autor Status Turcic. *I. cap. 16.* Quamvis nonnulli cum Joh. Besoldo in *Diss. II. de jure Ordd. Civit.* *c. 9. §. 6.* tales nobilitandi morem ad rationem status Imperatoris Tureici referant, ut nemo fiat magnus, nisi per solum principem, & ita ei magis sit devinctus, nihilominus quod ex proprio cuiusque merito nobilitatem inter alias nationes extimant Turci insigne moratarum gentium dederunt specimen, quod a nemine reprehendendum erit. Plura adferre hujus rei exempla possemus, nisi notiora sint, quam ut ignorari, clariora, quam ut negari, & firmiora, quam ut destrui possint. Ceterum nolumus omnia dissentientium argumenta ad vivum resecare, ne ab instituto nostro longius discedamus. Qua de causa omittimus etiam examen distinctionis inter jus gentium primarium & secundarium, inter jus justitiae & jus utilitatis, quibus tamen Dn. Joh. Hackmanni

mann, Rintelensis Professor in Philos. Practica universa cap. II. n. 18. p. 77. omnibus sese explicaturum dubiis nimis confidit, etiam si aliquoties jus gentium parum caute declaret per meram licentiam, utiloquitur, non intra, sed extra conscientiam obligantem. Si quis vero etiamnum gentium moribus, fere arbitrariis, & conclusionibus ex utili & justo remotioribus, robur suum in jure Gentium confirmando tribuit, ei commendamus distinctionem DN. Hedingeri in Disp. de jure Virtutis. corrol. 2. inter conclusiones I. N. nudas & vestitas. Sic enim olea prætensa, vexillum album & similia petitæ pacis & colloquii signa tacito pacto nituntur: hoc violare, illam repellere in bona fide agentibus naturale nefas existimatur. Et hoc usque jus gentium pro lege acceptum prolixè impugnavimus, non diffitentes jus gentium pro attributo personæ, sive facultate usurpatum, quam gentes natura permittente exercentes ad communem felicitatem & convenientem rerum communicationem inter se dirigunt, ac propterea non ex numero nationum, sed ex fine æstimatur, uti tradidit Vir de arte & qui & boni in Academia Salisburg. dudum meritissimus DN. D. Joseph Bernhard Glette in Jurispr. fundam. lib. I. Tit. 2. §. 4. n. 3. Sicut enim jus naturæ generale est, & continet principia generaliora: ita illorum restrictio deinceps pactis moribusve gentium & legibus civilibus permittritur salva tamen ejus perfecitione. Illustris DN. D. Obrecht in Obs. ad H. Grotium l. I. c. I. §. 14. p. 1046. Quem fugit adversus hostem facultatem quandam moralem in infinitum nobis jure naturali indultam esse? H. Grotius lib. I. de J. B. & P. c. I. §. 10. Hanc idem autor fusius explicat in Lib. 3. c. 4. scq. sed ipse pro dexteritate sua mouit jure gentium pro facultate accepto, non licere hostem interficere veneno in lib. 3. c. 4. §. 15, quod mortis causam hic belli modus geminat, defendendi copiam hosti adimit, bellique naturam prorsus destruit, quippe quod status hominum est vim sibi mutuo inferentium. Ceteroquin de modo vindictæ servando etiam in bello celebre extat. Ciceronis testimonium lib. I. de Offic. c. 11, sunt quædam officia etiam adversus ea servanda, a quibus injuriam accepimus: Est enim discendi & puniendi modus. Aliaque his similia, congererunt Viri perpetuos in hominum animis triumphos actum. Albericus Gentilis de J. B. lib. 3. cap. 2. p. 474. H. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. II. §. 1. Illustr. DN. Ulricus Obrecht in Tr. de Ratione bellic. I. §. 5. p. 13. Illustris DN. D. Henricus Coccejus in Disp. de armis illicitis tbcf. 34. scq.

§. IV. Quanquam virtus & jus non videntur inter se differre, ut annum suum induxit DN. D. Hedingerus in Diff. de jure virtut. non tamen obstante utrinque obligatione ad faciendum vel omittendum, haud levem deprehendimus differentiam. Siquidem virtus magis ad internam, us vero ad externam vitæ innocentiam pertinet. Ita pravæ cogitationes

voluntatis decretum & approbationem antecedentes virtutum præceptis
 adversantur: licet cum jure naturali stricto dicto non pugnent, circa actiones
 hominis externas potissimum occupato, neque ad eas, quæ intra pe-
 tuis latitant, nec aliquem effectum aut signum foras produnt, non faciliter
 penetrante: Nam nudis animi actibus efficientiam juris tribuere non fuerat
 congruum naturæ humanæ, quæ nisi ex signis actus cognoscere potest,
 H. Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. c. 4. §. 3.* Ceterum, quod ad internam attinet
 animi puritatem, ab ipsa virtute promanantem, gratulamur nobis de con-
 sensu Summi Philologi ac Philosophi longe meritissimi in Academia no-
 stra DN. Christophori Cellarii qui *in Progr. 25. de virtute principia atque*
de virtutis unitate verba faciens mentem suam ita exprimit & concludit:
 Qui unam habet, reliquarum non omnino expers est, quia virtutem ex
 bonitate voluntatis metimur, quæ nulla est, si virtutis aliis contaminata sit,
 nec tota mens in honestatem feratur. Deinde virtus discrepat a jure in
 eo: Virtute id, quod nostrum est, vel perficimus, vel in alium conferimus;
 jure autem alteri, quod illius est, tribuimus. Conf. Illustr. DN. Coccejus
in Posit. J. N. & G. pos. ult. Quare accidit, ut si ea, ad quæ stricto jure obli-
 gamur vel plane omittamus, vel aliter faciamus, statim a nobis injuria
 committatur, quæ vero contra virtutem perpetrantur, nemini infligunt
 injuriam. Exemplo illud optime demonstrari poterit, sit quispiam ava-
 rus, qui nihil pauperibus elargiatur, non potest ideo dici iis injuriam face-
 re, vel non possunt eidem bona propter tenacitatem auferri: cum nihil
 iis debeat, neque id alicui suum est, ad quod aptus est. H. Grot. *l. 2. de J.*
B. & P. c. 17. §. 2. & l. 3. c. 11. §. 7. Similiter, si prodigus res suas dilapidet,
 non jure naturali nascitur obligatio, ut res in priorem statum restituantur,
 quoniam rebus suis uti & abuti quisque dominus pro lubitu potest. Quo
 nomine H. Grot. *in l. 2. c. 11. §. 10.* adserentem, prodigam donationem con-
 tra J. N. esse, DN. D. Tesmar his castigat verbis *in Comm. p. 286.* quo minus
 donare liceat omnia bona, futura & præsentia, impedimento non esse pu-
 to legem N. sed civitatis potius. Nos vero rationem ex ipsis H. Grot. *l.*
1. c. 4. §. 2. etiamsi in casu plane dissimili datam hic inserimus: quia civilis
 societas ad tuendam tranquillitatem (rerumque sufficientiam) instituta,
 statim civitatis quoddam majus in nos & nostra nascitur, quatenus ad
 finem illud necessarium est. Denique jus aliqui separatur a virtute, ar-
 bitrantur: illud coactionem admittere, quam tamen hæc repudiaret: il-
 lius transgressionem comitari pœnas, hujus vero observantiam præmia,
 quæ Arn. Geulin *Erbic. Tr. 5. p. 347. seqq.* copiosissime enarrat, ad quem
 novissimum scriptorem ablegamus quosquos lectores. Et huic potius in-
 sistimus sententiaz, necesse omnino esse, ut sponte fiat, & *in regalibus*
quod

quod virtutis nomen obtineat, juxta Gronovium non contempnendum Grotii Paraphrasten in not. ad L. 2. c. 20. §. 20. ubi cum eo ad vertimus male H. Grotium quibusdam duntaxat virtutibus. e. g. liberalitati, misericordia hoc tribuere, ut earum natura coactionem omnem repudiet, quod tamen omnibus ac singulis proprium erat. Nemo enim casu aut coactione bonus ac virtutibus praeditus est, sed probe discenda & libere exercenda virtus est, (Senec. epist. 123.) Helluonem largiori abstinentem potu ob febrim, & ex Medici prescripto, sobrium esse, nullus dixerit, quamdiu ita coactus abstinet. Sane laudatur, qui sponte facit, quod facere debet, non qui cogitur ad officium. Quod si enim coactio accedit, res pia & honesta, alias illaudabilis omnino fit e. g. stipem dare pauperi res est optima, si quis coactus faciat, perit gratia rei. Fusissime hoc argumentum pertraetat Stoicæ Philosophiæ facile Princeps, Seneca, in lib. 3. de benef. c. 13. ubi ait: minuitur gloria ejus officii cui diligenter cautum est. Et in L. 6. de benef. c. 7. agens de castitate iterum sententia nostræ clarissimum praebet testimonium, inquiens: Ne dicam pudicam, quæ amatorem, ut incenderet, repulit, quæ aut legem, aut virum timuit, ut ait Ovidius:

Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit:

Non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præsttit, non sibi. Idem Sen. in l. 3. de Benef. c. 18. ingratum vocat, quisquis metu gratus est. Qua occasione nobis succurrit controversia, quam eruditæ inter se agitant, de actione ingrati: ideo brevibus etiam dirimenda, ut magis utilitas distinctionis nostræ inter iustæ & virtutem appareat. Evidem Joh. Boëclerus, Argentinensis Academiz ornamentum, integra Dissert: hanc actionem propugnavit a nobis tamen nunquam impetrabit, ut ei ad stipulemur, subinde confundenti ingratitudinem simplicem cum prægnantem, ab illustr. DN. Puffend. in l. 3. de J. N. & G. c. 3. §. 16. & 17. DN. D. Thomasio l. 2. 4. §. 55. satis inculcatam, quarum illa si vulgaris fuerit, cum quispiam tantum beneficii obliviscitur, & oblata occasione id referre negligit, actio non solet dari, ne beneficium abiret in creditum; sin vero leminens & prægnans, cum injuria adversus benefactorem conjuncta fuerit, sicut in statu naturali causam belli subministrat, ita quin actionem in statu civili pariat, nullum est dubium; quamvis revocationem donationis (L. 10. C. de R. D.) suscepit a donatore, non tam poenam, quam poenitentiam esse, alii statuant. Conf. DN. D. Hedingerus in Comm. ad Inst. Disp. de donat. §. 9. p. 63. Atque hanc omnem fere Philosophorum sententiam fuisse contra DN. Hedingerum in Disp. de Jure virtutis, latius ostendi potuisset, nisi propositum foret, per compendium agere, litesque minus necessarias resecare. Inter omnes vero sapientiz assertores; bonæ, causæ Patronus

Seneca redeat, *l. a. de Ins. 27.* ac pronunciet: Quām angusta innocentia est, ad Legem bonum esse? quanto latius officiorum, quam juris patet regula? Quinimo qui omnium primum produci debuisset, Sacratissimus Legum conditor, Justinianus, eandem differentiam subiunxit, *q. u. Inst. de Fideic.* hereditat. Ideo, ait, fideicomissa appellata sunt, quia nullo juris vinculo, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Agmen testium claudit H. Grot. *in lib. 3. c. 13. §. 4.* affirmans, latius dilectionem patere; quam juris regulas, ut multa vetet, quæ ex jure stricto sint licita. Licitæ enim distingvuntur modo in ea, quæ impune fiunt, nec tamen sine vicio, & iræ, quæ vicio carent, etiamsi talia non facere, sit alicujus virtutis. Grot. *l. 3. de J. B. & P. c. 2. §. 6.* Sic inopem debitorem omnibus suis reculis excutere a virtute alienum est: item persequi rem suam cum cœde debitoris. H. Grot. *de J. B. & P. lib. 3. c. 2. §. 6.* Multa igitur virtus exigit, quæ non laudabilia tantum sunt, sed oinitti etiam sine culpa nequeunt, ut non indicare adventuras merces, ut nostras carius vendamus. H. Grot. *l. 2. c. 12. §. 9.* Nihilominus, monitore eodem Grotio *in l. 2. c. 12. §. 6.* jus proprie non convenit ei, cui hinc aliquid debeatur.

S. V. Poterant hæc utcumque sufficere ad eruendum Juris naturæ discriumen, quod imperio divino innititur & ex sana ratione probatur; quoniam vero ex hoc principio deductæ conclusiones haud raro confunduntur cum naturæ consiliis, & hæc etiam certis limitibus circumscribere peropusesse videtur. Quandoquidem consilia Legis naturam induere satis compertum est, ubi deberi strictè incipiunt, hoc autem interprete DN. Hedingero *in Consp. J. N. Tit. IV. S. 11. p. 25.* eveniet, si societas tam indeterminatæ, quam determinataæ domus, civitatis, foedera junctorum, natura & finis id exigat, in quo, nisi confessim adjuventur, collapsura forrent. Verum appellamus consilium id omne, quod ex probabili ratione alicui suadetur citra imperium & inde ortam necessitatem: licet etiam ex contemplatione finis obrinendi resulteret, nihilominus, quia cum fine & imperio non dicit necessariam ubique & invitabilem connexionem, proinde vim legis haud assequitur. Ita consilium erit, jus in hostem infinite prosequendum non esse, sed tentanda pacis remedia, quippe bellum sava res est, cumulumque secum trahit injuriarum & insolentiarum. Grot. *lib. 2. c. 2. §. 10.* Si igitur prosequeris jure, Grot. *l. a. de J. B. & P. c. 1. §. 10.* sin condonas, consilio facis, & laudem reportas. Similiter certo numero elemosynarum se obstringere consilii est, non debiti, rectius tamen fit, quam non fit, Quanquam ex his quodammodo intelligi possit, quantum dissent inter se Lex & consilium, animi tamen fert cupidus, id clarius ac meliori proponere ordine. Nimirum Lex & consilium in eo conueniunt, ut regulæ sint actio-

96 CAP. III. DE DISCRIMINE JURIS NATURALIS &c.
actionum humanarum. H. Grot. de J. B. & P. l. i. c. 1. §. 3. sed in hoc plurimum differunt, quia consilii ratio petatur a re ipsa, quæ præscribitur; Legis vero ratio sumatur a voluntate præcipientis. Unde majorem sæpius vim habet consilium, quam legis imperium: quoniam illud cum ratione persuadendi conjunctum est, at imperium sola imperantis autoritate mouet jubendo, aut vetando: Ibi evidens est agendi ratio; hic vero inevidens. DN. D. Eisenhardt in *Repræf. Juris p. nat. cap. 1.* §. 54. p. 114. His accedit, quod consilium libertatem faciendi relinquit; quam Lex personis subjectis non permittit, sed illas obligationis vinculo valde constringit, id quod Valentinianus & Marcianus de sacratissimis Constitutionibus suis olim dixerunt in L. 9. C. de LL. ad naturalem etiam legem commode transférimus, nempe Leges constringere hominum vias. Ex professo hoc Legis & consilii discrimen tradidit Thom. Hobbesius de cive c. 14. §. 1. p. 130. ubi inquit: Facere id, quod lege præcipitur, officii: quod consilio, arbitrii est. Consilium dirigitur ad finem ejus, cui præscribitur; Lex ad finem ejus, qui præcipit: Consilium non nisi volentibus datur; Lex etiam nolentibus. Deinde jus consiliarii tollitur arbitrio ejus, cui consilium datur; jus Legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur Lex. Sed plus satis etiam de consiliis dictum est nisi ea cum eum consiliis Evangelicis Pontificiorum turba conflictis, H. Grotius in *egregio suo de J. B. & P. opera* passim confunderet, finesque Jurisprudentiaz naturalis ita turbaret, ut legentiibus lib. 1. cap. 2. §. 5. cap. 3. §. 3. lib. II. c. 1. §. 4. 10. & 13. cap. 5. §. 13. c. 13. §. 21. c. 20. §. 10. liquido apparebit. Quemadmodum vero hæc in spiritualibus ac in primis in virtutibus christianis tanquam vitæ perfectioris regulas commendare venerandus protestantium Theologorum chorus non permittit, quorum consiliorum refutationem ex acto illorum judicio quam lubentissime relinquimus, ita nobis B. DN. D. Joh. Adam. Osiandri de illis præstittam decisionem hanc adscribere libuerit in *Obser. ad Prolog. Grot.* §. 5. judicantis: in sacris consilia superiora præceptis non dantur. Si enim in spiritualibus homo non potest præcepta adimplere, quomodo poterit ad consilia assurgere? Tentet prius quis iter in montem Sinai & tunc demum scalis admotis plus ultra. Neque nos ulterius progrediemur finium tenaces, quos transfilire, ut probro vertitur; ita sæpius cedit damno, Deo interim gratias agimus immortales pro viribus in arduo hoc negotio nobis benigne concessis, ejusq; auxilium porrò imploramus, ut quælibet studiorum nostrorum incrementa ad Nominis sui gloriam perducat.

ERRATA.

Pag. 33. l. 4. leg. vellent inimici. P. 34. l. 30. Sanchez. P. 36. l. 27. leg. Pallados. P. 37. l. 12. ex deleatur. P. 39. l. 1. leg. Istas. P. 39. l. 13. leg. nunquam. Pag. 39. l. 25. leg. faciendam. P. 39. l. 29. leg. objecta. P. 44. lin. 8. leg. quorum. Pag. 40. l. 12. leg. in hoc. Reliqua B. I. facile emendabit.